C. D.

ABSOLUTIONEM

A

Juramento

PERMISSU

MAGNIFICI JCtorum ORDINIS
in illuſtri Salana

PRÆSIDE

DN. JOH. HENR. POTT.
Philoſ. & U. J. D.

ad diem Maii

in auditorio JCtor.
ventilandam proponet

AUTOR
JOH. GEORG. DEWERDECK.
Lehna - Sileſ.

Jenæ, Typis Bauhoferianis 1685.

EMANUELE IN ROMA

PROOEMIUM.

Nihil certè ei qui Muſis ſe ſuamque mancipavit vitam adeò neceſſarium ac utile eſſe poteſt, quam ut tempus illud, quod a Deo, parentibus aut etiam cognatis, ipſi ad ſtudia ſua gnaviter tractanda conceſſum ac deſtinatum, benè impendat, colligat atque ſervet, neque otiosè conſumat. Etenim non minus ſcitè quam verè dixit ſummus illæ Stoicæ ſapientiæ ſectator Seneca *lib. 1. Ep. 1. pr.* turpiſſimam eſſe jacturam temporis quæ per negligentiam fit: cum namque omnia fermè quæ caſu aut etiam facto aliquo nobis erepta ſunt, recuperari fortuna favente facilè â nobis queant, ſolius tamen temporis jactura irrecuperabile involvit damnum, ita ut â nullo unquam reſtitui poſſit. Et ſanè ſimilis mihi videtur vita noſtra Academica eorum vivendi rationi, quorum fidei cura rei nummariæ concredita, qui certo certius ad rationes reddendas, ab iis qui eos huic rei præficêre, citari ſolent. Cujus rei memor, ut & ego quoque probarem me per illud tempus quo me Academiæ tenuëre, pretium aliquod tempori poſuiſſe, placuit mihi, more recepto, Parentibus ac cognatis meis hac de Abſolutione â Juramentis Diſſertatione, ſtudiorum meorum hactenus geſtorum, gratas (ut ſpero) reddere rationes. Elegi autem hocce thema cùm ob maximam atque inſignem illam quam in vita communi habere videtur utilitatem, tum ob non minorem ejus jucunditatem, ea ſpe fretus, B. L. ea quæ pro ingenii mei tenuitate de eo ſum propoſiturus, æqui bonique eſſe conſulturum. Sit igitur DEO Triuno Duce ac moderatore.

Caput I.

continens

Generalia de juramento, terminorum explicationem, deſcriptiones, atque diviſiones.

I.

Cum juxta communem Philoſophorum æquè ac JCtorum doctrinam, ab univerſalibus ad particularia à ſimplicibus ad compoſita, & à notioribus ad minus nota progrediamur vid. Manz. *ad* §. 2. *I. d. I. & I.* methodi hujus rationem accuratam & nos hac vice ſequemur, tradituri, antequam ad ſpecialiora de abſolutione juramenti faciamus acceſſum, quædam de Juramento in genere. Præſupponentes igitur, juramenta non ſolum jure Gentium & Civili probari, ſed & juri Naturæ non adverſari, tùm ratione finis teſtandæ veritatis, tollendarumque controverſiarum, tum ratione modi, cum fiant cum Numinis Divini veneratione, tùm etiam ratione objecti, quoad res ad Dei gloriam & commoditates hominum pertinentes, de definitione juramenti ſtatim erimus ſolliciti. Variè igitur à variis juramentum definiri ſolet, & primō quidem definit illud Ariſtotel. *Rhet. ad Alex. c.* 18. *h. m. Jusjurandum eſt cum divina veneratione dictio probationis expers*, vel prout alia habent exemplaria. *Jusjurandum eſt aſſertio quæ fit cum asſumtione teſtimonii divini, & ulteriore demonſtratione vel probatione non indiget.* Frantzk. *in Comm. ff. tit. d. Jurejur. n.* 5. hanc ſuppeditat Juramenti definitionem: Juramentum eſt aſſertio rei legitimæ, in cujus majorem fidem & confirmationem Deus ipſe teſtis vocatur, & jurans ultrò ſe obligat ad pœnas æterni exitii, ſi fallat, quam comprobat quoque Eck. *eod. tit.* §. 3. convenitque cum ea, quam tradit Illuſtris Dn. Struv. *S. I. C. Ex.* 17. *th.* 2. eſtque ſequens. Jusjurandum eſt religioſa rei alicujus aſſeveratio legitimè facta per invocationem Dei in teſtem. Plures qui ſcire geſtit huc facientes juramenti deſcriptiones evolvat Hahn, *ad Weſ. d. t. n.* 2. *in pr.*

II.

II. Forma juramenti conſiſtit in aſſeveratione religioſa, *l.* 1. *ff. d. t. l.* 6. *C. eod. t. l. ſ. C. d. fideic.* quâ quis ſummum Numen ſ. Deum qui ſummè bonus & ſummè verax eſt, ceu teſtem vocat, in fidem eorum quæ ab ipſo affirmantur vel negantur. Finis verò ejus eſt teſtatio veritatis: Quæ forma, cum omnibus in univerſum juramentis communis, ſequitur exindè, quod ratione formæ juramentum dividi nequeat. Sed neque ratione finis illud diviſionem admittit, nam omnia quoque juramenta eundem agnoſcunt finem. Ratione objecti tamen dividere ſolent juramentum in Promisſorium, Confirmatorium & Deciſorium. Hahn. *d. t. n.* 4. Eck. *eodem* §. 4. Ex his *promiſſorium* eſt, quod verſatur circa negotii promiſſionem, cum ſcilicet promiſſiones noſtras de rebus & negotiis futuris confirmamus, dividiturque rurſus ex mente Hahn. *d. l. in fidei promiſſorium*, quo quis ſcilicet verbis in futurum conceptis jurat fidem, & *obligationis introductorium ſ. promiſſorum in ſpecie*, quod eſt de re quadam præſtanda. *Confirmatorium* eſt cum juratò aliquid aſſeritur, ita eſſe, vel non eſſe, fitque de rebus præteritis, & præſupponit de Jure Civili actum eodem Jure validum. Denique Deciſorium juramentum illud dicitur, quod facit ad rei controverſæ deciſionem, vel remotè vel proximè. Quæ omnia propterea allata, ut notetur ſtatim in principio, non omnia juramenta hujus eſſe loci, ſed illa ſaltem hùc ſpectare, quæ promiſſoria & confirmatoria dicimus Gail. 2. *O.* 42. *per tot.* Juramenta enim deciſoria nullam relaxationem aut abſolutionem admittunt.

III. Requiſita juramenti quod concernit, tria à Dd. vulgò tradi ſolent, quorum (1) eſt veritas. (2) Juſtitia, (3) judicium. Nam ſi deeſt Juſtitia, oritur exinde juramentum iniqvum, ſi veritas, perjurium, ſi judicium, redditur Juramentum incautum ac temerarium. Et hæc tria requiſita alias vocari ſolent pediſſequæ ac comites juramenti, ita ut ſi unum eorum deſit, juramentum debita ſua haud gaudeat perfectione Myrſ. *c.* 5. *obſ.* 59. *n.* 4. Bachov. *in not. ad Weſ. tit. d. jurejur. n.* 14. & judicii quidem defectus, quando illud in jurante non eſt rectum, per dolum. v. g. deceptum, aut à principio quodam extrinſeco ceu vi ac metu aut aliis affectibus turbatum & confuſum id efficit, ut liget quidem juramentum jurantem, dummodò ſit de re licita ac honeſta, ſed abſolvi poſſit à juramento præ-

ſtito, uti vult communis Dd. opinio. vid. Gail. *d. l. n.* 4. 5. & 6. qua de re infra *cap.* 3. pluribus.

IV. Hiſce maximè generalibus expoſitis, propius nunc ad rem ipſam, abſolutionem ſcilicet à juramento accedimus. Prænotandum igitur quid ſit abſolvere, & quænam abſolutio hujus ſit loci. Abſolvere igitur (1) eſt reddito pretio creditorem dimittere, forſan quod ligati ſint quibus debetur aliquid, ut putat Donatus, aut quod appellandi, flagitandique negotio ac moleſtiâ creditores liberentur. Calvin. *in Lex. voce abſolvere* (2) Abſolvere ſumitur pro liberare, & abſolutio denotat liberationem. Sic dicimus abſolvere ſe judicio ab aliquo, pro liberare ſe à judicio non vexari moleſtia judiciali. vid. *l.* 14. *ff. judic. ſolvi.* (3) accipitur verbum abſolvere pro ſatisfacere, quo in ſenſu quis abſolvit creditorem quando ei ſatisfacit, & cum pecunia ſoluta dimittit vid. *l.* 37. *ff. de Uſur.* Et hinc abſolutio denotat liberationem à debito, videtur autem quod hæc acceptio cum prima fermè coincidat. (4) abſolvere idem nonnunquam eſt quod reconciliare, *c. ad menſam c.* 11. *qu.* 3. *in fin.* (5) Denique abſolvere idem eſt quod abſolutum oſtendere & declarare, Gloſſ. *in c.* 14. *ex diligenti d. Simon. c.* 2. *d. jurejur. c. audivimus* 24. *qu.* 1. quo in ſenſu abſolutio nihil aliud eſſet, quam declaratio aliquem ab obligatione ſ. nexu aut vinculo obligationis eſſe liberum & abſolutum. Et hæc ſignificatio propriè huc ſpectat.

V. Juramentum quid ſit expoſuimus jam ſupra, unde hic quædam de Synonymia ejus addere ſolùm placet. Dicitur autem aliàs Juramentum, (quod unde dicatur docet Frantzk. *d. l. n.* 4.) jusjurandum, religio, ſacramentum, & quia ſæpiſſime ad res creditas probandas, certas reddendas & æſtimandas adhibetur, non inconcinnè in *N.* 73. *c.* 4. emplaſtrum æris alieni vocatur. Ipſam verò Juramenti vocem, quamvis ſæpiſſimè in C bis tamen ſaltem *in ff.* legi ut in *L.* 34. §. 5. *ff. d. jurejur.* & *in l.* 25. §. 3. *ff. d. probat.* docet Eck. *d. t.* § 2.

VI. Vocatur autem aliàs abſolutio à Juramento (1.) relaxatiō juramenti *c.* 1. & *c.* X. *d. jurejur.* eſt enim laxare nihil aliud quam ſolvere, & in ſenſu juris, remittere, in priſtinum ſtatum reſtituere. Barboſ. Locuplet. *lib.* 16. *c.* 24. ſemperque præſupponit vinculum, Idem *d. l.* add. Canis, *ad cap.* 28. X. *d. jur.* (2.) beneficium abſolu-

ſolu-

ſolutionis *c.* 8. X. *d. t.* ibi, *de juramento abſolutionis beneficium meruerunt.* (3) Gratia *l.* 32. *ff. d. jurejur.* juncta *l. ult. pr. ff. ad municipalem & d. incolis.* (4) Liberatio à juramenti nexu & vinculo. *c.* 2. *c.* 7. *c.* 15. X. *d. t.* (5) Diſpenſatio ſuper juramento, quo faciunt verba Gregor. Tholoſan. *Syntagm. Jur. lib.* 8o. *c.* 12. *n.* 2. *Diſpenſatio* inquit, *ſeu abſolutio à Juramento eſt rigoris diſciplinæ relaxatio.* In vernacula dicitur ea, Eine Erlaſſung, und Ledigzehlung des Eydes.

VII. Quod verò ad definitionem abſolutionis à juramento attinet, antequam noſtram ſuppeditemus, more ſolito, aliorum deſcriptiones nobis præmittendæ erunt. Definiunt igitur communiter ea n, quod ſit actus, quo magiſtratus ex juſtis cauſis vim obligandi quæ revera ſuberat, aufert & tollit Hahn *ad Weſ. tit. d. jurejur. n.* 31. *poſt. med.* vel uti vult Schlepiz. *ad promptuar. Jur. Klammer Tit.* 14. §. 7. *lit. C. n.* 9. Abſolutio à Juramento eſt, quando à jurata noſtra promiſſione abſolvimur, ſi id promiſerimus, quod pugnat cum gloria Dei, vel commodo Eccleſiæ, vel Reipublicæ. Verùm præſupponit hæc definitio abſolutionem à juramento tunc quoque neceſſariam eſſe, quando juramentum bonis moribus eſt contrarium, quod an procedat nec ne, infra *cap.* 3. diſpiciemus, contrarium enim haud pauci defendunt. vid. Hahn. *d. l. med.* Aliter hinc deſcribit abſolutionem hanc Magnif. Dn. Eichel *in Diſſert. de juram. tam in genere quam in ſpecie* th. 31. quod ſcilicet ſit ſublatio obligationis juramenti ex juſtis cauſis à magiſtratu facta: vel brevius, abſolutio à juramento eſt obligationis ex præſtito juramento profectæ remiſſio, Molin. *tr. d. J. & J. tract.* 2. *Diſp.* 149. *n.* 12. Magnif. Dn. Struv. *S. J. C. Ex.* 17. *th.* 77. Dilucidius verò definiri poteſt hoc modo. Abſolutio à juramento eſt actus legitimus, quo ſuperior ſeu Magiſtratus ſive jure proprio, ſive delegato, prævia ſufficiente cauſæ cognitione jurisjurandi obligationem reſcindit ac aufert.

IIX. Dictum autem quod ſit ACTUS, adſignificandum nos hic potius de ipſo exercitio abſolutionis, quam de jure ejus eſſe ſollicitos, hæc duo enim maximè à ſe invicem diſtant, unde & non inconvenienter à ſe invicem ſeparantur. Jus enim abſolvendi eſt, quod facultatem ſuper Juramentis diſpenſandi præbet, & reponitur inter Regalia, Carpz. *ad L. Reg. Germ. cap.* 9. *ſect.* 12. *num.* 1. & 10.

Ipſa

Ipſa verò abſolutio conſiſtit in facto ſeu exercitio. Additum quod ſit ACTUS LEGITTIMUS, quoniam præviam ac præcedentem cauſæ cognitionem requirit, in qua ſolennitas ejus conſiſtit, quamvis ſummariè res expedienda Gail. 1. *obſerv.* 22. & 23. ſeu, quia à legibus eſt approbatus. QVO SUPERIOR: is enim demum abſolvere poteſt, qui ſuperiorem in aliquem habet poteſtatem, unde eliciunt, neque ſuperiorem, qui juramenta relaxandi poteſtate gaudet, ſibi ipſi Juramentum relaxare poſſe, ſed tutius ac conſultius agere, ſi inferioris Judicio ſe ſubmittat, eumque in hoc caſu quaſi ſuperiorem agnoſcat. Poteſt tamen inferiori ſigillatim hoc jus concedi à ſuperiore, ut pluribus cap. ſeqv. dicendum. Reliqua definitionis verba cum per ſe ſint manifeſta, ulteriorem dilucidationem vix deſiderant.

IX. A definitione progredimur ad diviſiones. Dividitur igitur abſolutio à juramento (1) in *juſtam* & *injuſtam*. Ex his prior eſt, quæ legitimo modo eſt petita & impetrata. Hanc verò dicimus, quam quis ſub & obreptitie impetravit, verum ſupprimendo, falſumque allegando: eſt enim obreptio nihil aliud, quam allegatio falſi, ſubreptio verò ſuppreſſio veri Abbas *in c. cum dilecta d. Re Script. n.* 15. add. D. Strauch. *Diſſert. Vque Acad.* 3. *d. Conſtit. Princ. th.* 48. *V. G.* ſi quis verum ſupprimendo ab ejusmodi juramento abſolutionem impetraverit, cuius indoli ob maximam vinciendi & ligandi proclivitatem nihil magis contrarium quam diſſolvi. *cap.* 28. X. *de jurejur. cap. quamuis d. pact. in 6.* item, ſubreptitia iudicatur abſolutio à iuramento, ſi quis omnium obſtantium non fecerit mentionem, Ozaſcus *deciſ.* 142. *n.* 14. Reyger *Theſ. jur. voc.* abſolutio. Ratione *objecti*, alia eſt *generalis*, alia v. *particularis*. *Generalem* dicimus eam, quæ univerſam reſpicit cauſam, nihilque excludit, *Specialem verò ſeu particularem vocamus*, quæ non ad totum negotium, ſed ad certam ſolum partem ejus, aut ad ſpecialem conceditur actum Cravett. *Conſil.* 7. *n.* 7. (3) ratione *ſubjecti* alia eſt *Eccleſiaſtica*, quæ à perſonis Eccleſiaſticis fieri ſolet, alia verò *ſecularis*, quæ à ſeculari Magiſtratu, alia denique *mixta* dici poteſt, quæ fit in judicio, partim ex ſecularibus, partim verò ex Eccleſiaſticis perſonis conſiſtente, qualia judicia in terris proteſtantium Conſiſtoria eſſe perhibent. (4) ratione *durationis ſeu temporis* alia eſt *perpetua*, alia verò *temporalis*.

CAP.

Cap. II.

De

Subjecto ſeu perſonis quæ à Iuramento abſolvere poſſint, quæque abſolutionem hanc petere valeant.

I.

Poteſtatem abſolvendi à præſtito Juramento ſoli competere judici Eccleſiaſtico affirmaret quis primâ fronte, nixus authoritate *txx.* Juris Canonici *in cap. venerabilem in fin.* X. *de Electión. cap. fin.* X. *de foro compet. in* 6. Adduceretur quis ulterius in hanc ſententiam unanimi Canoniſtarum conſenſu *ad cap. tuam X. d. ordin. cognit.* vid. Gloſſ. *in cap. ex tenore d. foro compet. in verb. Eccleſiaſticum.* Felin. *in cap. cum ſit, num.* 7*, cum ſeqq.* Panormit. *in cap.* 1. *n.* 3. *d. jurejur.* Covarruv. *in c. quamvis p.*1. §. 3. *n.* 22. Caſtrenſ. *conſ.* 196. *vol.* 2. *num.* 1. Franc. *in d. c. quamvis n.* 3. *d. pact. in* 6. qui ibi dicit, quod in omnibus contractibus juratis laicus coram judice conveniri poſſit Eccleſiaſtico. Unde & Felin. in *d. c. cum ſit*, refert, vaſallum ratione juramenti ſortiri forum Eccleſiaſticum, qui ibi ſatis laxo ſtylo hoc thema proſequitur. Accedit quod abſolutio à Juramento articulum ſapiat ſpiritualem Gail. 1. *obſ.* 25. *n.* 1. Scilicet poſtquam Pontifices in Eccleſia regnare cœperunt conniventibus Imperatoribus & Principibus ſecularibus, poteſtatem juramenta relaxandi ad ſe arripuerunt, ſibique ſolis attribuerunt *dd. txx.* Paul. de Caſtr. *in auth. ſacramenta puberum C. ſi adverſus venditionem num.* 11. Andr. Fach. *lib.* 3. *contr.* 13. qua de cauſa Canoniſtas omnia ad ſuum imperium, & ad ſua molendina trahere velle ſcribit Bald. *in l.* 1. *C. de oper. libert.* videatur omninò Arniſæ. *d. jure Majeſt. lib.* 2. *cap.* 6. *verſic. nec verò.*

II. Verùm quamvis perſonis Eccleſiaſticis, veluti Papæ, Cardinalibus, Epiſcopis, præprimis in ditionibus ipſis ſubjectis, exceptis ſolum inferioribus Eccleſiaſticis, ut Monachis &c. hanc poteſta-

ſtatem non denegemus, præſertim cum per conniventiam quandam Principum ſecularium eam ſibi ſumſerint Carpz. *p.* 2. *c.* 36. *d.* 1. *n.* 6. tantum tamen abeſt ut eorum velimus complere catalogum, qui tantum Eccleſiaſtico Magiſtratui, nequaquam verò ſeculari hanc poteſtatem competere affirmare non erubeſcunt, quos inter nomen ſuum profitetur Weſenb. *tit. d. Jurjur. n.* 14. refutatus eapropter ab Hahnio *ibidem.* cujus rationes & nos deindè paucis examinabimus, ut potius contrarium oſtendere, noſtrarum eſſe partium exiſtimemus. Temporis enim tractu, res ferè ad priſtinum ſtatum & jus antiqvum rediit, Carpz. *d. l.* & ſibi ſumſere quoque hoc jus perſonæ Politicæ, ſicuti ex ſequentibus plenius apparebit, unde in terris proteſtantium hodiè perſonis Eccleſiaſticis non amplius conceſſam eſſe facultatem relaxandi juramenta ad effectum agendi, docet idem Carpz. *in Jurüpr. ſua Conſiſt. lib.* 3. *tit.* 1. *d.* 2. *n.* 21. ipſi enim Principes ſeculares, ſibi ſuisque Conſiſtoriis reſervarunt hanc à Juramentis abſolvendi poteſtatem C.G.Ord. *p.* 2 *tit.* 24. Receſſ. Imper. *d. anno* 1654. §. als ſich denn auch. Idem obtinere de Jure Provinciali Prutenico, docuit me in privatis noſtris lectionibus Dn. Præſes *per tx. in lib.* 1. *tit.* 40. *a.* 8. *c.* 3. dicti Juris Provincialis, ibi. ***Abſolutio autem vel relaxatio jurisjurandi vel à Nobis vel pro conditione & qualitate cauſæ & perſonarum coram Conſiſtorio noſtro Eccleſiaſtico impetrari & fieri debet.*** Conſentit Jus Saxonicum, uti hoc patet ex *Conſtit.* Elect. Saxon. Auguſt. 36. *p.* 2.

III. Notandum verò ante omnia, hic non diſputari de moralitate juramenti, an ſcilicet illud ſit licitum vel illicitum, ſed tantum de obſervantia ejus, an videlicet ſit ſervandum nec ne? Gail. 1. *obſ.* 25. *n.* 4. *& ex eo* Carpz. *d. p.* 2. *c.* 36. *d.* 1. *n.* 3. *&* 4. Poſſunt enim Juramenta dupliciter conſiderari (1) quatenus ſunt licita vel illicita, bonitatem vel pravitatem in ſe continent, ſicque Deum quis offendat ea ſervando vel iis contraveniendo. *(2)* Quatenus agitur de eorum obſervantia adeoque de executione juramenti, h. e. in quantum quis juramentis contraveniendo, civiles perjurii pœnas incurrat. Illo modo abſolutio à Juramentis eſt vera peccatorum remiſſio, & conceſſa eſt ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus vid. Bachov. *ad Weſ. d. t. n.* 14. ibi. *Ego vix permiſerim.* Hoc verò, ad magiſtratum politicum pertinet Juramentorum dijudicatio, præprimis

cum

cum abſolutio à juramento habilitet perſonam ad exercendam actionem, quam alias ſine metu perjurii exercere non potuiſſet.

IV. Quod igitur perſonas concernit politicas, quibus hanc à Juramentis abſolvendi poteſtatem tribuimus, inter eas primum occupat locum Imperator, refertur enim Jus abſolvendi inter Regalia, uti fusè id ipſum probat Carpzov. *ad L. Reg. Germ. cap. 9. ſect. 12. n. 1. & 10.* Et quoniam Camera Imperialis ipſum repræſentat Imperatorem cæterosque Status Imperii (unde & Conſiſtorium Principum vocatur) hinc ipſius Imperatoris & Statuum authoritate illam Cameræ quoque conceſſam eſſe, tradit Gail. 1. *obſ. 25. n. 2.* Poſt Imperatorem, gaudent hac facultate quoque Electores, Archiduces, Duces & in genere Status & Imperii Principes, non obſtantibus iis, quæ pro contraria opinione ſtabilienda proferri ſolent, in quorum veritatem ac firmitatem mox erimus inquiſituri.

V. Non ſolum autem Imperatori & dictis Statibus Imperii hæc à Juramentis abſolvendi poteſtas competit, ſed eâdem meritò quoque gaudent Comites atque Barones, quia & hi ditiones ſuas jure ſuperioritatis poſſident, unde & tritum & in ore omnium, illud natum eſt brocardicum, quod quilibet Princeps, Comes vel Baro tantum poſſit in ſua ditione quoad ſubditos, quantum Imperator in Imperio Bartol. *in L. infamem n. 14. ff. d. publ. judic.* Alex. *Conſil. 2. n. 9. vol. 1.* Gail. *de pace publ. lib. 1. cap. 6. n. 10.* Hos excipiunt liberæ Civitates, ut ſunt Civitates liberæ Imperiales die freye Reichs-Städte/ quoniam & hæ jura Principis habent & tantundem in ſua Republica poſſunt quantum Imperator in Imperio per *tx. in L. probibere 3. §. plane 4. ff. quod vi aut clam* Bartol. *in d. L. infamem n. 14.* Panorm. *in cap. quibusdam n. 2. d. verb. ſignif.* ubi dicit, poſſe civitates reſervata Principi tempore immemoriali præſcribere. add. Gail. *d. l. n. 11.* Procedunt autem hæc quæ dicta, niſi privati ſint hac poteſtate Comites, Barones aut etiam Civitates Imperiales ob commiſſum aliquod gravius delictum, aut propter abuſum poteſtatis.

VI. Sed an & Civibus Imperii mediatis hæc poteſtas tribuenda, non adeò videtur eſſe expeditum. Nos diſtinctione adhibita mentem noſtram explicabimus. Sunt igitur Cives hujusmodi aut in inferiori aut in ſuperiori ſeu eminentiori poſiti ſtatu. Poſte-

ſterioris generis cives quod attinet, ſi ipſis Jura vel exercitium ſuperioritatis (per quæ intelligimus non ſublimiorem iſtam dignitatem territorialem, ſed feudalem ex qua quocunque Jure Regalia pariter, ut ipſi immediati exercere valent) ſive titulo oneroſo ſive etiam lucrativo ſunt communicata, hæc poteſtas iis denegari haud poterit, id quod ſecus eſt ſi nullo titulo aut jure hanc facultatem ſibi arrogare valent. Prioris verò generis civibus rectè eam denegamus. Facit hùc confirmatque noſtrum aſſertum Gvilhelmi Neapolitanorum Regis conſtitutio *Lib.* 1. *Tit.* 57. quâ cum ſuo tempore Bajuli, ſibi poteſtatem ſumerent, cauſas ad forum ſuum non pertinentes, cognoſcere, & inter alia etiam ſibi arrogarent juramenta in aliis judiciis præſtita remittere & relaxare, graviſſima eos affecit pœna. Dicebantur autem Bajuli in Regno Neapolitano judices inferiores, coram quibus cauſæ civiles & præcipuè quidem, ponderum & menſurarum agebantur. vid. *Conſt. Neapol. d. lib.* 1. *tit.* 62. *ibique Gloſſ.* ubi fuſius omnia quæ ad eorum pertinent jurisdictionem exponuntur.

VII. Prono quoque ex dictis fluit alveo, minus rectè hanc à juramentis præſtitis abſolvendi poteſtatem ſibi arroganter tribuere nuncios Apoſtolicos, qui à Pontifice Romano, nunc ad Principes, nunc verò ad alios in gradu eminentiori poſitos ablegantur Eck. *tit. ff. d. Legation.* §. 3. & multis paraſangis à legatis à latere differunt. Notabilis hâc de re eſt textus *in Receſſ. Imperii d. anno* 1654. §. als ſich denn auch 158. *in fin.* ibi: Auch im übrigen/das jenige/was die Stände wegen der Nunciorum abſolutionem à Juramentis und daß dergleichen relaxationes in Gerichten/Sie geſchehen denn vor dem ordentlichen Richter ad effectum agendi nicht zu attendiren ſeyn ſollen &c. Imò in genere á juramentis abſolvere nequit Judex incompetens, cum ſecundum vulgatiſſimam regulam, nemo poſſit abſolvere, qui condemnare non poteſt *l.* 6. *in fin. pr. ff. d. offic. proconſ. l.* 37. *ff. d. R. J.* ibique Magnif. Dn. Mullerus *in Comment. ſuo.*

IIX. Et hæc de perſonis publicam authoritatem habentibus dicta ſufficiant, quid verò de privatis ſentiendum, nunc paucis inquirendum venit. Videtur igitur optimo quoque Jure hanc poteſtatem adſcribi poſſe capiti familiæ ſeu ſocietatis domeſticæ. Licet

enim

enim Jus δεσποτικὸν & πατρικὸν non ſint idem quod jus civile, ſunt tamen ei ſimilia. *Ariſt. 5. Ethic. 10. pr.* Unde haud rarò cum ſtatu monarchico ſocietas domeſtica comparari ſolet, id enim paterfamilias eſſe dicitur in ſuâ familiâ quod monarcha in regno, & definitur hinc domus ſeu familia, quod ſit ſocietas ex nuptiali & herili ſocietate prima, naturalis & monarchica ad quotidianum uſum inſtituta. vid. Cellarius *in Pol. c. 5. §. 2.* & velut monarchia domus eſt, quia ab uno gubernatur, vel ut Ariſt. loquitur 1. Pol. 7. μοναρχεῖται. Sed rectius Judicium familiare ſeu domeſticum hic prorſus exulare ſtatuimus, etenim competit hoc jus iis tantum, quamvis non omnibus, qui publicam ſuſtinent perſonam, non qui privatam gerunt, non obſtante quod paterfamilias monarchæ ſimilis ſit: aliud enim eſt eſſe monarcham, aliud verò monarchæ ſimilem. Et ſanè non in regno ſed in domo ſaltem ſeu familia ſua ad inſtar monarchæ imperat, ex quo minus rectè infertur, eum eſſe monarcham & habere τὸ κύριον, id quod tamen neceſſario requiritur ad id, ut quis hac poteſtate polleat. Neque ulterius huic noſtræ ſententiæ obicem ponit locus ex *Numer. 30. v. 11. & 12.* ibi enim non de relaxatione ſ. abſolutione à Juramento, ſed potius de irritatione ejus agitur, quæ multum ab abſolutione differt, ſicuti ex iis quæ Cap. V. proponenda erunt, clarius apparebit.

IX. Neque ſibimetipſi, ſicuti jam ſupra *c. 1. §. 8.* innuimus, quamvis ſit ſuperior, & juramenta relaxandi poteſtate gaudeat, juramentum relaxare, ſeque ab eo abſolvere quis valet. Etenim requirit hic actus plenariam atque exactam cauſæ cognitionem, quam quis in propria cauſa facili negotio negligere poteſt, imò ejusmodi abſolutio omni haud careret ſuſpicione, cum abſolvens hoc modo eſſet Judex in propria cauſa, id quod jura noſtra non tam facilè permittunt *l. 13. ff. quod met. cauſ. l. 1. §. 13. in f ff. ad SCtum Trebell. l. un. C. ne quis in ſua cauſ.* Gail. 1. *obſ. 29.* Philipp. *U. J. Pr. l. 4. ecl. 33. n. 5.* Et quamvis ab hac regula, haud pauci Imperatorem hic excipiant, tutius tamen eſſe contendunt alii, ſi in hoc caſu Imperator vel alius abſolutus dominus, nullum agnoſcens ſuperiorem, ſe inferioris Judicio ſubmittat. *arg. l. 14 ff. d. juriſd. per c. 5. Aur. Bullæ add.* *Matth. Steph. lib. 2. de juriſd. p. 1. c. 1. n.* 54 Hilliger. *in Donell. lib. 17. c. 2. lit. B.* Brunn. *ad l. c.* Non enim hic agitur de glande legenda,

ſed

ſed de ſalute hominis,re maximi momenti & omnibus rebus cariore & pretioſiore.

X. Hactenus igitur oſtenſum, quænam perſonæ à juramento abſolvere poſſint, quod ſcilicet rectè quoque tribuatur hæc facultas magiſtratui ſeculari, unde quibus hæc aſſertio nitatur fundamentis ac rationibus, nunc nobis inquirendum erit. Miſſis verò iis, quæ pro confirmanda hac ſententia affert H. Grot. *lib.* 2. *d. J. B. & P. c.* 13. §. 20. *n.* 1. 2. 3. & 4. eas ſaltem hâc vice attendemus rationes, quas proponit Hahn. *loc.* ſupra *cit.* quarum *Prima* eſt, quod propterea ad magiſtratum ſecularem hæc facultas pertineat, quia ad eundem antiquis temporibus ſpectavit Juramenti executio & perjurii punitio, id quod clarè probat *l. ult. pr. ff. ad municipal.* Brunnem. *ibid.* add. Carpz. *d. p.* 2. *c.* 36. *d.* 1. *n.* 5. & ab eo ibid. cit. Hartm. Piſtor. *lib.* 2. *tit. d. juram.* 25. *obſ.* 5. Bernh. Græv. *lib.* 1. *pract. concl.* 25. Confirmant porrò quoque hanc rationem exempla Regum Iſraelitarum, ut Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Joſiæ & aliorum, ut & Numæ Pompilii atque ſequentium aliquot Romanorum Regum, quibus omnibus religio curæ cordique fuit, vid. Reinking. *d. Regim. Sec. & Eccl. l.* 1. *claſſe* 4. *cap.* 9. *n.* 14. ut propterea dubitari nequeat, illos quoque Juramentorum cognitionem non neglexiſſe. Dum verò hoc utimur argumento, quod videlicet eapropter rectè hodiè hoc jure utatur Magiſtratus ſecularis, quia & olim ſeculares perſonæ eô uſæ ſunt, non poſſumus probare ſententiam. H. Grot. quam fovet *l. c.* abſolutionem ſcilicet a Juramento olim quidem à Principibus, nunc verò ipſorum Principum voluntate, quo magis cautum ſit pietati, ab Eccleſiæ præſidibus exerceri. Et reclamant ea quæ ſupra ex Jure Saxonico & Provinciali Prutenico fuere allata. *Secunda* ratio qua hæc ſententia corroboratur eſt, Imperatores olim fuiſſe ſimul Pontifices Maximos. Erat autem Pontificatus Principum occupatus maximè circa Ceremoniarum, Religionis & in ſpecie quoque juramentorum dijudicationem, prout hoc fusè probat Alexand. ab Alexandro *Genial. dier. lib.* 2. *c.* 8. Arniſæ. *d. Jur. Majeſt. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 8. *verſ. de Pontificibus &c.* qui hodiè à Principibus proteſtantibus quaſi poſtliminio reſtitutus eſt (ceſſavit enim aliquandiu) per Pacificationem namque Religioſam & noviſſimam Weſtphalicam univerſalem, jus illud, quod Epiſcopale dicunt, ſibi reſervarunt, exercentes poteſtatem in Sacris

&

& Eccleſiaſticis determinandi, jure ſuperioritatis, vid. Carpz. *in cit. Tr. ad L. Reg. Germ. cap.* 9. *ſect.* 12. *n.* 7. Mynſ. *cent.* 3. *obſ.* 59. *n.* 2. add. Receſſ. Imper. d. anno 1655. §. und ſollen in dieſen beyden Verordnungen ꝛc. Sequitur nunc *Tertia* ratio, quam in eo ponit Hahnius, quod Deus ſit author magiſtratus Politici, & ideò ſi magiſtratus juramentum remittat, Deus ipſe illud remittere intelligatur. Quam rationem juvat, quod in omni juramento obligatio directa ſit & ad hominem, & ad Deum, eamque augeri per vinculum religionis. Aſt circa religionem & ea quæ & ad eam ſpectant occupata quoque eſt Majeſtas, id quod vel ex principiis politicis manifeſtum, unde & Magiſtratus Politicus eſt quaſi cuſtos & ſcutum Eccleſiæ, vid. Philipp. *U. J. Pr. l.* 1. *ecl.* 12. *n.* 20. add. Ariſt. 7. *Pol.* 9. *Quarto* denique loco, corroboratur hæc noſtra opinio per *all. l. ult. pr. ff. ad municipal. l. ult. qui ſatisd. cog. l. f. d. re milit. l. adigere* §. *f. ff. d. jur. patron.* addantur ea quæ doctè hoc de themate diſſerit Berlich. *p.* 2. *concl.* 44. *n.* 10.

XI. Reperiuntur tamen haud pauci, qui adductis rationibus non attentis, contrariam veriorem pronunciant opinionem, quorum catalogum complere diximus Weſenb. *l. c.* cujus rationem, antequam hinc abeamus, paulò accuratius nunc erimus examinaturi. Eſt igitur ea ſequens, quod ejus ſit remittere & abſolvere à juramento cui illud præſtatur *cap.* 2. *d. ſponſ.* aſt, inquit, fit aut præſtatur Juramentum Deo. Quare obligationem huic quæſitam, homo relaxare non debet. Sed quis non videt minorem propoſitionem Weſenb. directè petere τὸ ἐν ἀρχῇ, illud, quod eſt in principio quæſitum, unde meritò eam in dubium vocarunt Bachov. & Hahn. in notis ad Weſenb. *d. l.* quamvis enim in omni juramento Deus in teſtimonium vocetur, fit tamen illud ut plurimum coram magiſtratu politico, tanquam Dei vicario. Quod ſi verò coram eo fit juramenti acceptatio, quidni apud eundem rectè fieri poterit ejusdem abſolutio aut relaxatio. Et hinc dicit Gloſſ. *in L. adigere §. 6. ff. de jure patron.* Legem obtinere vicem Apoſtolicam, in abſolutione à juramento. Deindè verum quidem eſt, quod in juramentis Deum fraudis noſtræ ultorem vindicemque evocemus, nosque ultrò ad pœnam obligemus, ſi contra ſcientiam atque conſcientiam juraverimus, ſed reſpiciunt ſimul hæc juramenta de quibus hic ſolliciti ſumus intereſſe hominis,

ſic-

ſicque continent etiam obligationem qua iis in quorum favorem juratum, ſumus adſtricti, unde & hanc obligationem nobis remittere poſſunt. Gail. 1. *obſ.* 24. *n.* 1. Et Deus non aliter recipit Juramenta quam ab homine ſunt recepta, unde ſublata obligatione reſpectu hominis cui juratum, obligatio quoque reſpectu Dei, in teſtimonium ſuper hac promiſſione vocati in totum ſublata cenſebitur vid. Henr. Caniſ. *ad cap.* 2. X. *d. Sponſal. n.* 2. Quod ſi igitur ſuperior, utpote à cujus poteſtate actus noſtri multum dependent, à præſtito juramento abſolverit jurantem ſublata eſt eo ipſo obligatio qua quis devinctus erat ei cui juratum & ſimul ea qua Deo quis erat obligatus. vid. Magnif. Dn. Stuv. *S. I. C. Ex.* 17. *th.* 80. Sed limitat ſuum aſſertum ipſe Weſenb. hominem relaxare obligationem ex Juramento quæſitam non debere, niſi ex Dei permiſſu & patefacta in Scripturis voluntate, ſed ſacrum ſermonem ſervari velle Juramentum *Numer.* 30. *Job.* 9. *Pſ.* 15. *Matth* 5. ſicque vix ac ne vix quidem admittendam eſſe abſolutionem, niſi juramentum illicitum ſit ac improbum atque ita divinæ voluntati contrarium, de hoc vero cognoſcere ſpectare ad Eccleſiam. Reſpondet verò Hahnius *d. l.* à veritatis aberrare tramite velle Deum, quod omne omninò juramentum ſervari debeat, cum enim ipſe Deus ſit juſtiſſimus, eum non niſi in rebus juſtis honeſtisque conſenſum adhibere. Verum hoc ipſo nondum Weſenb. per omnia videtur eſſe ſatisfactum, nam & ipſe affirmat injuſta juramenta non eſſe ſervanda, ſed abſolutionem peti poſſe, melius enim eſt vota ſtultæ promiſſionis non adimplere, quam crimen committere; & juramenta illicita laudabiliter ſolvuntur, damnabiliter obſervantur, in promiſſis malis fides reſcindenda. Hinc laudatur David, quod Nabali pepercerit cui cum tota domo ſua ex ira, & vindictæ cupiditate temerè necem & interitum juraverat *c. juravit* 22. *qu.* 4. reprehenditur verò Herodes, quod Johannem ob juramentum injuſtum occidere juſſerit *c. eſt etiam* & *c. unusquisque* 22. *qu.* 4. Unde limitamus aſſertiorem Weſenb. h. m. non debere hominem relaxare juramenta licita, ſi ſcilicet relaxatione iſta læderetur conſcientia ejus, qui abſolutionem petit, aut is juramentum ſervare poſſit, regula namque eſt, quod omne juramentum quod ſine diſpendio ſalutis æternæ ſervari poteſt, utique ſit ſervandum, unde cautum ſeſe in

hisce

hisce caſibus gerere debet magiſtratus: quod ſi verò iuſta ſubſit cauſa propter quam quis juramento ſtare nequeat, non videmus cur abſolutio non ſit concedenda, quamvis juratum ſit ſuper re licita & non moraliter turpi. v. g. ſi quis præſtitiſſet urphedam, & illatam ſibi injuriam nihilominus legitimè vindicare vellet; ad effectum hunc agendi, vinculum juramenti omninò relaxari poſſet. Quod verò ad Eccleſiam hoc caſu ſit confugiendum jam ſupra negavimus, & adhuc conſtanter negamus. Diſſentit præter Weſenb. quoque Speidel. *in not. ad Theſaur. Pract.* Beſold. *verb. abſolution.* von gethanem Eyd/ contendens faciendam eſſe abſolutionem ab Epiſcopo jurantis. add. Fachin. *lib. 3. contr. c. 13. in f.* qui propterea Principem ſecularem non poſſe abſolvere à juramento ſtatuit, quia ipſi juramentum non eſt præſtitum, neque ex eo jus quæſitum habet.

XII. Cæterum notat Autor quidam incertus *in Inſtitutionibus ſuis Juris Publici lib. 2. tit. 3. §. 26* ex conſuetudine cujusque regionis æſtimandum eſſe, an abſolutio à Judice ſeculari, an verò à Judice Eccleſiaſtico, aut denique à Conſiſtorio fieri debeat, id quod & nos non negamus, addentes pro meliori intellectu eorum quæ hactenus ſuppeditata, ea quæ notat Hahn. *l. c.* ex H. Grot. quod licet ſuperiorum actus efficere nequeant, ut jusjurandum quatenus verè fuit obligatorium, non præſtandum ſit, cum hoc juris ſit naturalis & divini, tamen id fieri poſſe, quatenus materia vel vis jurandi ſubtrahitur actibus inferiorum, vel jus quæſitum tollitur ab eo cui juratum, & aufertur jure Imperii & propter publicam utilitatem.

XIII. Ultimo denique loco ſicco nobis haud ſunt prætereundæ pede, illæ perſonæ quæ abſolutionem à Juramento petere posſint. Poſſunt autem omnes quæ ex Juramento præſtito obligatæ ſunt, dummodo juſtam deſiderii ſui allegare valeant cauſam. Accidit enim aliquando, ut Juramentum quidem dici non poſſit nullum, & de rigôre juris ſit ſervandum, verùm ſubſit quædam æquitatis & juſtitiæ ratio, per quam abſolutio ſeu gratia aut diſpenſatio fiat juramenti, ne non obſervando ſine abſolutione, fiat quis perjurus *c. prædicandum 22. q. 1. c. pervenit d. fidejuſſ. c. etſi Chriſtus X. d. jurejur.* Setſerus *de juramment. lib. 1. c. 24. n 3.* ubi hoc exemplis illuſtrat. An autem univerſitas abſolutionem à juramento petere poſ-

ſit, dubitatur. Negat hoc Card. Tuſch. *tom. 1. pract. concl. lit. a. concl. 58. n. 69. & ſeqq.* & cum eo Carpz. *p. 2. c. 36. d. 6. n. 2.* ex ratione quod univerſitas ſeu communitas ſit perſona ficta, non habens animam nec corpus *l. 15. §. 1. ff. de dol. mal.* Sed cum univerſitas per certas perſonas juramentum præſtare poſſit vid. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. 17. th. 36.* ſicque ſeſe obligare. *t. t. ff. quod cujusque univerſ. nomine*, dubitandum vix videtur quin & ea abſolutionem ex juſtis cauſis petere queat. Videat cui volupe eſt hac de re Mynſ. *2. obſ. 99. n. 3.* ubi præjudicium refert. Hoc tamen pro cautela obſervandum Judici ut ſeſe non omnibus æquè facilem ac promptum, ad abſolvendum præbeat: rectè enim ait Rodriquez *caſ. conſ. 41. n. 3.* *Propoſitio eſt multum verificata, quod qui juravit aliquam rem adimplere, in qua patitur injuriam, ſive juraverit vi ſive voluntariè, legitimam habet cauſam petendi abſolutionem talis Juramenti in foro conſcientiæ: dicit tamen Cajetanus, quod in relaxandis iſtis juramentis debeat eſſe magna cautela ne detur occaſio blaſphemandi nomen Dei* &c. add. Azor. *Inſtit. moral. l. 11. cap. 9. qu. 8.* hinc uni facilius quam alteri juramentum relaxandum. Sic faciliorem ſe præbere poteſt in hac cauſa mulieribus, ruſticis atque minoribus, quam viris prudentioribus, ac majoribus, quoniam illi facilius propter ſimplicitatem ac judicii infirmitatem circumſcribi ac circumveniri poſſunt; non obſtante quod juramentum ex minore faciat majorem, habeatque hanc vim, ut ætatem ſuppleat. *auth. ſacram. puber. C. ſi adverſ. vend.* Jaſ. *ibid. n. 55. & in l. aut Prætor. §. ſi minor. n. 2. ff. de jurejur. ubi dicit.* quod adverſus juramentum confirmatorium actus, præſtitum per minorem in contractu, non debeat ipſi concedi in integrum reſtitutio, neque abſolutio fieri à tali juramento, qua de re infra *cap. ſequ.* agetur: & quod fatui ſint Judices qui hoc faciunt, *per d. auth. ſacramenta. puber.* Etenim licet juramentum minorem faciat majorem, non tamen eum facit ſagacem ac prudentem Socin. *conſil. 263. n. 2. vol. 2.* Surd *deciſ. 216. n. 20.* ad ea verò quæ Jaſ. urget accuratè reſpondet Setſer. *d. tr. lib. 1. c. 11. per tot* quo nos brevitatis ſtudio ducti, Lectorem Benevolum remittimus.

XIV. Denique non ſolùm per nosmetipſos, ſed & per procuratorem abſolutionem à juramento rectè petimus Felin. *in c. 15. n. 3. de ſentent. excommun.* Gail. *1. obſ. 23. n. 4.* Neque impediet abſolu-

lutionem, quod quis juraverit, ſe non petere velle abſolutionem à juramento: non obſtante enim hac jurata, promiſſione abſolutio rectè petitur ſi juſta ſubſit cauſa Felin. *in c. 2. X. d. ſponſal. n. 19.* Carpz. *p. 2. c. 36. d. 2. n. 6. & 7.*

Caput III.

continens

Objectum ſeu Caſus in quibus abſolutio à Juramento neceſſaria, & impetrari poteſt.

I.

Perduxit nos ordo Diſputationis ad objectum abſolutionis à juramento, melioris hinc evidentiæ cauſa ex prioribus repetimus nos hic non conſiderare juramentum, ut articulum ſpiritualem involvit, ſed quatenus de ejus obſervatione & executione agitur. vid. modò laudatum Setſerum. *d. l. 1. c. 24. n. 17. & 18.* Sunt autem juramenta vel licita vel illicita. Licita vocamus; quæ ſunt de re honeſta & non moraliter turpi: illicita verò dicimus, quæ concipiuntur & præſtantur ſuper rebus inhoneſtis, quæ juri divino atque humano contrariantur, adeoque moralem in ſe continent turpitudinem. Non igitur hic dicimus illicitum Juramentum quod eſt de actu jure civili invalido præſtitum, ſed potius quod ſi ſervaretur cum honeſtate pugnaret, & conſcientiam alicujus graviſſimè læderet, imò æternæ ſalutis diſpendium conciliatet.

II. An verò ejusmodi illicita Juramenta objectum abſolutionis conſtituant nec ne, non una Dd. eſt opinio, quibusdam in affirmativam quibusdam verò in negativam ſententiam inclinantibus. Priorem arripit Bachov. ad Tr. *v. 1. D. 21. th. 2. lit. C*, putans omninò opus eſſe abſolutione (1) ne quis facere cogatur quod promiſit. (2), ut tollatur peccatum commiſſum ipsâ rei turpis promiſſione add. Mynſ. 3. *obſ.* 99. Poſteriorem verò ſuam facit Hahn. ad Weſenb. *tc.*

 affir-

affirmans propterea abſolutionem non requiri, quia ipſum obſervare juramentum peccare eſſet, & ab ea re abſolutionem petere, quam quis citra peccatum facere non poſſet, perabſurdum eſſe. Quam ſententiam juvant ea quæ tradit Gail. ſupra *cit. 2. obſ. 42. n. 4. Juramentum*, inquit, *quod vergit in diſpendium ſalutis æternæ, quod eſt contra bonos mores, quod cedit in deteriorem exitum, quod exemplo perniciöſum eſt &c. ipſo jure non obligat jurantem, unde iſtis caſibus abſolutione ejus non eſt.* Alii diſtinctionis fœdere controverſiam hanc amicè componere ſtudent, diſtingventes inter Jus Civile & Canonicum, deque illo quæſtionem affirmant, de hoc verò negant. De Jure Canonico enim dicunt, licet ipſo Jure nullum ſit juramentum, attamen ita ſperni non oportet, ſed abſolutio petenda *c. ad audientiam* 4. X. *d. his quæ vi metus ve* Matth. d. afflut *Deciſ.* 322. *n. 6.* unde dicitur *in c. qui ſacramento* 22. 44. juramenta quæ habent cum executione peccatum abſolvenda eſſe cum pœnitentia. Verum cum abſolutio à juramento obligationem præſupponat, quæ remittenda, non videmus quomodo propriè loquendo ejusmodi illicita juramenta, quæ nullam parere poſſunt obligationem, objectum abſolutionis conſtituere poſſint, quod autem contra bonos mores præſtitum ſeu illicitum juramentum non ſit obligatorium clarus probat textus *in c. non eſt obligatorium X. d. R. J. in 6.* non enim Juramentum eſſe debet vinculum iniquitatis *tx. in c. quanto X. de jurejur. & in c. 1, §. quia vero eodem tit. in 6.* accedit quod ea quæ lege fieri prohibentur, adeoque cum honeſtate pugnant, ſi fuerint facta, non ſolum ſint inutilia, ſed pro infectis habeantur. Neque eſt quod quis metuat ſe perjurii crimen pœnamque incurrere ſi abſolutionem negligat. Etenim nullum ibi eſſe poteſt perjurium, ubi nullum præceſſit jusjurandum adverſus quod facias, hic autem jusjurandum contra bonos mores & adverſus leges præſtitum pro nullo eſſe, modo dedimus probatum. Illud tamen negari nequit temerarium hoc eſſe Juramentum, adeoque peccatum eſſe commiſſum à jurante, eumque rectè agere ſi ſibi ſuæque conſcientiæque conſulens, verâ pœnitentiâ ductus à miniſtro Eccleſiaſtico abſolutionem petat, ſed hoc modo conſideratur Juramentum ut peccatum, non quatenus de ejus obſervatione; validitate & pœna agitur, quæ conſideratio propriè hujus loci.

III. Inter Juramenta licita verò quæ proprie abſolutionis faciunt atque conſtituunt objectum, primum occupat locum juramentum ſuper re quidem licita ac honeſta præſtitum, ſed dolo & fraude elicitum vid. Dn. Struv. *d. Ex. th. 76. & th. 77. n. 2.* per dolum autem defraudatur quis, ſi alter jurantis intellectui falſum objiciat objectum, ut de alio quam quod ipſe mente concepit juret, id quod ſequenti caſu illuſtrabimus. Fingamus ſcilicet, eſſe mercatorem naves opulentas è terris longinquis expectantem, cui ſi alius ex probabilibus circumſtantiis perſvaſerit, quaſi naves ſuæ à piratis interceptæ ſint, cum tamen intra patriæ portus jam tum appulerint, & ſic mercatorem adduxerit, ut ſpem pretioſiſſimarum mercium ipſi viliſſimo pretio ſacramenti religione interpoſita vendiderit, obligatorium quidem erit juramentum, quamvis dolus cauſam dederit contractui, & qvamvis enormiſſimè læſus ſit venditor, emptor verò ex fraude ſuâ opimam habere poſſit meſſem, poteſt tamen venditor præprimis ſi ad incitas alias per enormiſſimam hanc læſionem redigeretur ſicque non haberet unde ſe ſuosque honeſtè ſuſtendere poſſet, magiſtratum adire, & ab eo petere, ut emptorem adigat, ut præſtitum juramentum ipſi remittat, vel ſi id recuſet, ipſe magiſtratus eum quoad effectum agendi ab eo abſolvat. Et hoc maximè procedit de Jure Saxon. per *c. 35. verſ.* Es were denn/ ibi. verſeglichès Betrugs. Unde & Carpz. ad *d. c. d.* 2. non ſolum rationibus, ſed & reſponſis thema hoc accuratè probat, affertque inter alia ſequens. Daraus ſo viel zu befinden/ daß Kläger den angezogenen dolum, dadurch Er zur eydlichen Verzicht bewogen worden/ zur Nothdurfft beybracht/ derowegen ſolche Verzicht/ billich reſcindiret wird/ ꝛc. Idem putamus obtinere de Jure Provinciali Prutenico, utpote quod ſimpliciter, ubi renunciatione vel transactione jurata quis enormisſimè & ultra dimidium læſus eſt, permittit, ut is qui juravit, probata læſione, petere poſſit, ut ab ejusmodi juramento abſolvatur. Preuſch. Land. R. ſupra *cit. lib. 1. Tit.* 40. *a.* 8. §. 2.

IV. Sed non pauca ſunt, quæ huic noſtræ ſententiæ graviter obſtare videntur. Etenim reperiuntur (1) qui ejusmodi juramentum pro nullo prorſus & irrito, & quod abſolutione non indigeat, reputant, quos inter nomen ſuum profitetur H. Grot. *lib. 2. d. J. B. & P. c. 13. §. 4. n.* 1. cujus verba hæc ſunt. *Ex his quæ diximus intelli-*

telligi poteſt, inquit, *quid ſentiendum ſit de jurejurando quod dolo elicitum eſt. Nam ſi certum eſt, eum qui juravit aliquod factum ſuppoſuiſſe, quod revera ſe ita non habeat, ac niſi id credidiſſet, non fuiſſe juraturum, non obligabit Jurmentum.* Accedit quod Deus non verba, ſed voluntatem & intentionem in juramentis conſideret, item quod is qui decipitur non conſentiat, ſed quid agatur ingnoret, aſt juris eſſe expediti urgent, nullum contractum ex defectu conſenſus juramento confirmari. Unde (2) inferunt, quod ſi fraus & dolus juramento cauſam dederint & de Jure Civili tale Juramentum, utpote conſenſu deſtitutum, planè nullum eſſe. Barboſ. locuplet. *lib.* 9. *c.* 93. *ex.* 4. aut in effectu non obligare, ſicque nullatenus opus eſſe abſolutione. (3) Quod Jus Divinum concernit, obligare quidem affirmant alii, juramentum dolo elicitum, aſt abſolutionem non invenire locum, ſed potius illicitam eſſe ac prohibitam, idque probare exemplum Joſuæ & Seniorum in Iſraël, cum Gibeonitis fœdus juratum ineuntium atque religioſè obſervantium. *Joſ.* 9. *v.* 18. 19. *&* 20. (4) adducuntur quoque *txx.* Juris Canon. qui huic ſententiæ obicem ponere videntur, ſuntque *c. cum contingat X. d. jurejur. in* 6. *c. quamvis X. d. pact. in* 6.

V. Quibus omnibus tamen non attentis, firmitus adhuc noſtræ inhæremus opinioni, modeſteque à contraria facimus receſſum, defendentes cum Illuſtri Dn. Struv. *cit Ex. th.* 16. omnino ad id ut à juramento dolo alterius extorto recedere liceat abſolutione opus eſſe, unde ſingulis & ad ſingula ea qua fieri poterit brevitate reſpondendum nobis erit. Quod igitur (1) ad H. Grot. rationem attinet, regerimus, quod factum illud, quod ſuppoſuit jurans, ita ſe non habeat, cauſam quidem eſſe fraudem ejus cui juratum, ſed hic non perſona ſolum reſpicitur, cui dolo ejuſdem juratum, ſed is qui Juramento invocatur Deus, ſicuti ipſe docet Grot. *d. libr. & cap.* §. 14. Illud autem quod dictum, Deum non tam verba quam mentem in juramentis conſiderare, pro noſtra potius militat ſententia, quoniam enim Juramentis maximâ ineſſe debet ſimplicitas, patet exinde jurantem non aliam potuiſſe habere intentionem, quam quæ pro executione & obſervatione juramenti facere poſſit. Neque ulterius obſtare poteſt, quod deceptus non conſentiat, ſed pro ignorante habeatur, omni verò juramento conſenſum ineſſe debere. Nam procedit hoc

de

de principali negotio, non verò de incidentibus circumſtantiis & factis. De principali autem negotio deceptus, in propoſito & ſimili caſu omnino conſentit, unde etiam meritò obligatur, præprimis cum Juramentum ſine ſalutis æternæ diſpendio ſervare poſſit, contra verò ſi proprio auſu conventionem deſeruerit, vix à perjurii crimine & ſuſpicione, qvod Deum bonis temporalibus longè poſtpoſuerit erit immunis. vid. Hahn. ad Weſenb. *l. c.* (2) qvod concernit objectionem, qva inferebatur propterea abſolutione opus non eſſe, qvia ejusmodi Juramentum de Jure Civili ipſo Jure nullum: ad eam reſpondemus, nullatenus dici poſſe de Jure Civili omnia ejusmodi juramenta eſſe ipſo jure nulla, ſunt enim ea acceſſorium qvid, ſicuti verò contractus qvi dolo initi non omnes ſtatim ipſo Jure invalidi, unde vulgatiſſimæ illæ diſtinctiones, inter dolum dantem cauſam contractui, & dolum incidentem, & rurſus inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris. vid. Eck. *tit. ff. d. dol. mal.* §. 5. ita neque ipſa Juramenta quæ iſtis acceſſere: acceſſorium enim regulariter ſeqvitur naturam ſui principalis. *l. 139. ff. d. R. J. c. acceſſorium X. d. R. J. in 6.* vid. Treutl. & ibi Bachov. *V.* 1. *d.* 11. *th.* 10. *lit. a.* ut adeò & de J. C. in quibusdam caſibus, abſolutio ſit neceſſaria. Notandum tamen hic ad id ut ex juramento dolo elicito firma ſit obligatio tria potiſſimum requiri. (α) Ut jurans ad jurandum ſit habilis & judicio polleat. (β) ex mente ſua verum juret, (γ) ut objectum de quo juratur licitum ac honeſtum ſit. Sed ut ad (3) feſtinemus objectionem, concedimus quidem ambabus, uti loqui amant, manibus, ex jure divino, & præprimis ex iſtò lóco probari poſſe, juramentum cui dolus cauſam dedit eſſe obligatorium, minus rectè verò exinde infertur, E. tale juramentum nulla ex cauſa reſcindi & jurans ab eo abſolvi poteſt, præprimis ſi prægnantes & graves ſubſint cauſæ abſolutionem ſvadentes. Denique (4) quod *text.* adductos concernit, ad eos haud difficilis erit reſponſio. Etenim *c. cum contingat* X. *de jurejurando in 6.* non hunc habet ſenſum, quod mulierum renunciationes juratæ, quibus favori pro ſe introducto renunciantes, maritis bona dotalia diſtrahere permittunt, ob juramenti reverentiam firmæ ſint, infirmæ verò & nullæ prorſus fiant, ſi dolus aut metus interveniat, ſed hunc potius, quod priori caſu tales juratæ renunciationes ita obli-

obligent mulieres, ut ne quidem abſolutionem à juramento ſalva conſcientia petere poſſint, poſteriori verò eas in ſe quidem obligatorias eſſe, ſed tamen ut abſolutio a juramento impetrari poſſit, qua poſteà invalidari & non ſervari queant; id quod tali caſu ob ſingulares concurrentes circumſtantias permittitur, quæ, tum in perſonæ mulieris favore, tum in cauſæ odio, renunciatione ſcilicet juris mulieri ratione dotis competentis, tum etiam maxime in concurrente dolo quo maritus uxorem prius ad renunciationem induxit, & deinde vinculo matrimonii diſſoluto ſeu rupto, eam & marito & dote defraudavit, conſiſtunt, quæ cauſæ ſufficientes ſunt, ut abſolutionem à Juramento demereri poſſint. Ejusdem ferè farinæ circumſtantiæ reperiuntur quoque in *c. quamvis d. pact. in 6.* unde eadem ad id quadrabit reſponſio. Manet igitur firma noſtra poſitio, juramentum ſcilicet dolo elicitum obligatorium eſſe, poſitis ponendis, eamque nobiſcum defendit Cardinal Tuſchius. *Concluſ. Pract.* 804. *lib.* 1. *n.* 7. & 13. Gail. 2. *obſ.* 41. Balduinus *lib.* 2. *caſ. conſc.* 14. Perkinſius *lib.* 2. *cap.* 14. *caſ.* 3.

VI. Relictis juramentis dolo elicitis, ad ea quæ vi metuve extorta ſunt nunc progredimur, quæ & ipſa ſubſiſtunt, ita ut ſine præcedente abſolutione ab iis recedere haud liceat. Dn. Struv. *S. I. C. Ex.* 8. *th.* 11. & quem citat. Hammel. *d. act. c.* 38. *n.* 32. omnino enim ligant jurantem juramenta vi vel metu extorta, eo caſu quo quis cogitur jurare ſuper facto nullo jure prohibito. Etſi enim nihil conſenſui tam contrarium quam vis ac metus quem comprobare contra bonos mores eſt. *l.* 117. *ff. d. R. J.* unde & vim juri maximè contrariam, item maximè adverſariam ac inimicam eſſe, teſtis eſt Cicero *pro domo ſua & pro Cæcinna.* nihilominus tamen & in iis quæ vi metuve fiunt eſt voluntas *L. ſi mulier §. pen. l. item. ſi cum exceptione §. qui vim. intulit ff. quod met. cauſ.* involvuntque ejusmodi actus actiones mixtas, quæ pro diverſo reſpectu ſpontaneæ & invitæ dici poſſunt, adeoque non omni carent conſenſu & voluntate. Ariſt. 3. *Eth.* 1. *med.* qui & ibidem affirmat, actiones mixtas, iis quæ ſpontè aguntur ſimiliores eſſe, add. Caſus *in Speculo Virtut. Moral. l.* 2. *c.* 1. Et hanc communem DD. eſſe ſententiam teſtatur Immol. *in c. verum* & reliqui Canoniſtæ *in c. ſi verò X. d. jurejur.* Quia tamen æqvum non videtur ratum illud habere quod non ex libera profici-

ſcitur

ſcitur voluntate, ideò ab ejusmodi juramento peti ſolet abſolutio, eique gratia quædam fieri debet. *d. c. verum c. alius c. nos ſanctorum c. autoritatem c. juratos* 15. *q.* 6. quemadmodum & alias reſcindi ſolet, quod metu geſtum eſt, ex edicto ſcilicet Prætoris *l.* 1 *ff. quod met. cauſ.* qui quod metu geſtum eſt ratum ſe habiturum non eſſe, edicit; quod non tam verbum eſſe hominis quam Dei vocem, inquit Bald. *conſil.* 133. *col.* 2. *poſt. pr. vol.* 3. citatus à Setſero *d. tr. & lib. c.* 19. *n.* 13. qui & alibi *cap. ſcil.* 24. *n.* 8. ex eodem Bald. docet, Spiritum ſanctum in ore Prætoris hæc verba poſuiſſe. Et hæc eſt noſtra de juramentis metu extortis ſententia, quæ comprobatur quoque à Jure Saxon. Carpz. *p.* 2. *c.* 35. *d.* 3. *n.* 8. nec non à Jure Provinciali Prutenico, Preuſch-Land-R. *d. l.* ibi. *Ubi verò per vim vel metum jusjurandum alicui extortum &c.* quæ tamen & ſuos habet contradicentes, reperiuntur enim quamplurimi, qui contrariam ſententiam quod ſcilicet talia juramenta ipſo jure nulla ſint & ſic non opus habeant abſolutione, acerrimè defendunt, vel ad cautelam ſaltem eam peti poſſe, affirmant. vid. Gail. 2. *obſ.* 42. *n.* 1. & 2. Alii diſtingvunt inter Legiſtas & Canoniſtas, ita ut cum prioribus affirment juramentum vi metuve extortum ipſo Jure non valere, cum poſterioribus verò illud vim obligandi habere, ſicque abſolutionem requiri, aſſerant, quorum opinionem quod ad Jus Civile attinet refutat Carpz. *d. l.* Maximè verò omnium huic theſi ſeſe opponit Anton. Theſaur. *Qv. forenſ.* 51. *n.* 9. & 10. cujus rationes in conflictu data occaſione, examinabimus.

VII. Ex his longè gravior multoque difficilior oritur controverſia, de juramento ſcilicet latroni pro redimenda vita præſtito, quo quis certam pecuniæ ſummam ipſi exſolvendam juratò promittit, an videlicet jurans talem ſummam promiſſam vigore præſtiti juramenti exſolvere teneatur, an verò abſolutionem à juramento petere poſſit? Certè ſicuti controverſia hæc jamdudum à multis agitata, ita & diverſæ planè de ea reperiuntur opiniones, mirum enim in modum in ea decidenda variant. DD. tam Theologi, quam JCti nec non ipſi Philoſophi. Et quidem pro affirmativa ſententia, quod ſcil. ſervandum ſit juramentum, ſicque abſolutio non ſit concedenda pugnant rationes ſequentes (1) quia generale habemus præceptum legis divinæ, quo vetamur, uſurpare nomen Domini temerè & fru-

ſtra, id quod tamen fieret, ſi quis juramento non ſtaret (2) quod inter cæteras notas, quæ tribuuntur atque aſſignantur viro pio, ex præſcripto & mente divinæ legis una hæc recenſeatur, ut ſit is qui jurat domino ſuo, & non mutat *Pſalm.* 15. (3) quia res in ſe illicita non eſt, ut quis pro redimenda vita ſua pecuniam promittat, ſed potius, ut ſcholæ loqui amant, actum quendam charitativum inferr, cum natura nobis nihil adeò commendaverit quam conſervationem vitæ noſtræ vid. H. Grot, *d. J. B. & P. lib.* 1. *c.* 2. §. 1. (4) quia omne licitum jusjurandum, quod ſine peccato ſervari poteſt ſervandum, *d. c. cum contingat. in f. X. d. jurejur.* (5) quia licitum eſt unicuique & ſine jurejurando de re ſua ſtatuere, deque ea libere & pro arbitrio ſuo diſponere *l.* 21. *C. mand.* quo facit elegans illud Nervæ Cæſaris reſponſum, cujus mentionem facit Flav. Philoſtrat. *lib.* 2. *d. vit. ſophiſt.* Cum enim Atticus Herodis pater, ingenti invento theſauro, hanc ad Imperatorem epiſtolam miſiſſet: Theſaurum domi meæ (Imperator) comperi, quid de eo faciendum eſſe jubes? Nerva Cæſar qui tum temporis imperabat, humaniſſimè, reſpondit. Utere illis quæ inveniſti. Et cum Atticus in eadem cautione perſiſteret, ſcriberetque ſe theſauri magnitudine ſuperari, adjunxit Cæſar: Abutere invento, quod tuum eſt: Scitè hinc hanc in rem ſcribit Joh. Adam Oſiander *in Comment. ad Grot. d. I. B. ac P. lib.* 2. *c.* 15. *p.* 992. verba ejus hæc ſunt. *Propter Deum itaque, qui in juramento,* (latroni ſcil. præſtito) *non tantum ut teſtis & perjurii vindex invocatur, ſed & fidejuſſor ſiſtitur, ſacramentum tale ſervandum erit, tum & quia id non eſt vinculum iniquitatis. Non enim iniquum eſſe intelligitur pecuniam ſolvere pro redimenda vita, & præſtare hoc ut jurisjurandi religione ſe liberet, tum denique, quia hoc ipſum juramentum non eſt contra bonos mores. Non enim ſolvendo pecuniam comprobat Latrocinium, ſed fidem ſervat latrocinii vitio rejecto.* Et hanc ſententiam amplectitur quoque veneranda plurimum Facultas Theologica in illuſtri hac Salana in Reſponſo quodam, cujus mentionem facit Magnif. Dn. Velthem / *in Diſſ. ſua de Juramentis Divinis & Humanis* §. 28. His tamen omnibus non obſtantibus haud paci contrariam præferendam ducunt opinionem, ſtatuentes juramentum latroni præſtitum ipſo jure nullum eſſe, ne fiat laqueum conſcientiæ, neque ſolutione promiſſi commodum publicum detrimentum pa-

tia-

tiatur. vid. Molin. *d. Juſt. & Jur. Tr.* 2. *Tom.* 2. *D.* 149. Liebenthal *Colleg. Eth. Ex.* 5. *qv.* 7. Setſerus *d. t r. & lib.* 4. Bodin. *lib.* 1. *de Republ. cap.* 1. Ab his recedunt illi ex Canoniſtis qui per *c.* 8. X. *de jurejur.* & *c.* 1. *ad audientiam, d. his quæ vi metusve cauſ.* docent, momentaneam ſaltem ſolutionem ad implendum juramentum, quod à parte exigentis injuſtitiam quandam in ſe complectitur, ſufficere, & ſi quoque juratum ſit, quod repeti non debeat datum, nihilominus jurantem Eccleſiæ denunciare id poſſe, ut alter ad reſtituendum per officium judicis compellatur, Gloſſator. *in d. c. d. jurejur.* modo abſolutio deſuper debitè fuerit impetrata. Verum nos ab hac ultima, uti & à media ſententia, auctoritate Patronorum eorum ſalva, modeſtè rurſus ſecedimus, prioremque hac vice facimus noſtram, moti tum adductis tum adhuc aliis gravioribus rationibus, interim non negantes poſſe nonnunquam abſolutionem peti atque concedi ſi v. g. juranti nullum ſuppetat remedium, ita ut neque propriis viribus, neque amicorum ope adjutus, juratæ ſuæ promiſſioni ſatisfacere, eamque adimplere ullo modo poſſit. In omni enim caſu impoſſibilitate laborante abſolutio à juramento neceſſaria eſt. Mev. *in diſcuſſ. Lev. inop. deb. c.* 9 *n.* 131.

VIII. Miſſa verò nobili hâc controverſia ad alia eaque frequentiora nobis feſtinandum erit. Offert verò ſeſe ſtatim de relaxatione urphedæ ſeu de abſolutione ab urpheda, uti vocant, diſceptatio. Uſitatum enim eſt apud noſtrates Germanos, ſi forte aliquis, vel quod injuria affectus, vel quod in carcerem conjectus, vel ob aliquam aliam offenſam ſuſpectus ſit, ne ſeſe vindicandi cauſam arripiat, ut non niſi juratoria præſtita cautione, denn auf gewöhnliche Uhrphede / dimittatur, daß Er die Gefängnüß und Marter oder Schimpff / weder mit Worten noch Wercken / heimlich oder öffentlich in keinerley Weiß oder Weg rächen wolle. Eckolt. *tit. d. quæſt.* §. 14. Hiſce verò qui ejusmodi jurata obligatione & elogio de non vindicando carcere &c. onerati ſunt, abſolutionem à juramento concedendam eſſe, probant communiter per *tx. in Conſtit. Crim. Carol. V. art.* 20. §. *fin.* ibi. Es ſoll auch keine Obrigkeit oder Richter / in dieſem Fall keine Uhrphed ſchützen / helffen oder ſchirmen / daß der Gepeinigte ſeine Schmach / Schmertzen / Koſten und Schaden / mit Recht doch alle thätliche Handlung ausgeſchloſſen / wie recht iſt nicht ſuchen möge.

 Re-

Requiritur verò ad hoc (1) ut injuſtè aut ab incompetente Judice ſint incarcerati *Arg. l. 9. ff. ex quib. cauſ. major.* (2) ut famæ vel corporis afflictionem aut aliam ſibi illatam injuriam docere poſſint, quibus poſitis conceditur abſolutio à juramento ad ſolum effectum agendi, per quam via ad agendum aperitur, & perſona habilitatur quæ juravit, ut poſſit experiri de injuſto carcere, aut aliâ injuriâ. Neque habet pars adverſa quod conqueri poſſit, quia omnia ipſi Jura ſalva ac illæſa remanent, cum obſtaculum ſaltem jurisjurandi ſit ſublatum, ut actor liberè jus ſuum deducere vid. Carpz. *p. 2. c. 36. d. 3. per tot.* (ubi reſponſo rem illuſtrat) delatoribus ſuis dicam impingere, & contra eos viâ juris experiri poſſit. Et quamquam Setſerus *d. tr. lib. 1. c. 21. n. 1. & ſeq.* pro contraria ſententia multas affert rationes, inclinat tamen ipſe in noſtram opinionem, undè diſſentientium concluſiones de Jur. Civ. potius quam de Jure Can. procedere affirmat, ac tandem cum Octav. Simoncell. *tr. d decret. &c. lib. 3. tit. 8. n. 154.* abſolutionem in hoc caſu omninò neceſſariam eſſe concludit. vid. Gail. 1. *obſ. 22. n. 8. & obſ. 23. n. 5.* ubi formulam habet in Camera Imperiali in hoc caſu obſervari ſolitam, qui & doctrinam hanc cum amplificationibus ſuis & limitationibus ſolidiſſime tractat Carpz. *p. 2. c. 36. d. 2. & 5.* jungatur. Sichard. *conſ. crim. 9. n. 31. & ſeqq.*

IX. Pergimus nunc ad contractus juramento confirmatos, transactionesque juratas, quæ ut ob enormiſſimam læſionem reſcindi poſſint beneficio *l. 2. C. d. reſc. empt. vend.* omninò prærequiritur, ut abſolutio à juramento præceſſerit. Quanquam enim in dubio pro validitate & obligatione juramenti ſemper pronunciandum, & tutior eligenda via. Brunn. *ad l. 10. ff. d. reb. dub. n. 15.* ſemperque tenenda illa opinio quæ juramenti religionem integram conſervat & conſcientiis rectius conſulit Carpz. *p. 2. c. 36. d. 1. n. 1.* ſunt tamen non pauci eam foventes opinionem, quod tanta læſionis ratio in contractu, renunciatione, aut transactione haberi poſſit, ut propterea juramenti religionem negligere peccatum non ſit, præprimis abſolutione accedente. Hos inter recenſendi Gail. 2. *obſ.* 147. Mynſ. *cent. 5. obſ.* 59. Rauchbar. *part. 1. qv. 34. n. 80.* Zang. *d. Exc. p. 3. cap. 11. n. 165.* aliique quamplurimi quos magno numero allegat Berl. *p. 2. concl. 43. n. 21.* Et ſanè juramentum dolo elicitum abſolutionem

ad-

admittit, id quod anteà jam dedimus probatum, ſed quotiescunque enormiſſima ſubeſt læſio licet juratum, ſemper dolus præſumitur, unde & hoc caſu abſolutionem peti poſſe dubium non eſt: & comparatur læſio talis dolo ex propoſito Zaſ. *conſ.* 18. *n.* 17. *vol.* 1. Gail. *d. l. n.* 11. confirmaturq; hæc ſententia ulterius *per c. cum contingat* X. *de jurejur. c. quamvis d. pact. in* 6. Sed ut more hactenus conſveto particularia quoque attingamus jura, obſervavi procedere quidem hanc noſtram ſententiam de Jure Provinciali Prutenico *per tx. toties cit.* ibi. *aut ubi renunciatione vel transactione &c.* non verò de Jur. Saxon. per ea quæ tradit Carpz. *l. c.* ita ut de hoc Jure contractus & transactiones non juratæ quidem ob læſionem ultra dimidium reſcindi queant beneficio *d. l.* 2. non verò juratæ.

X. Sed an in ſpecie minor in contractu vel alio negotio jurato enormiter læſus abſolutionem à juramento petere poſſit, quæſtionis eſt non adeò expeditæ, quam ut accuratè reſolvamus, quæſtio illa præjudicialis nobis prius examinanda erit, quæ eſt, *an minor ex promiſſione, quam ex juramento firmatam eſſe voluit, ob enormem læſionem poſſit in integrum reſtitui?* Sane ſententiam ſeu opinionem quod minor reſtitutionem in integrum impetrare non debeat, neque poſſit, tenent haud pauci, quos longo agmine allegat Setſerus *d. tr. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 6. ex ratione, tum quod juramenta puberum inviolabiliter obſervanda ſint, tùm quod neque perfidiæ, neque perjurii author Imper. Frider. minori eſſe velit. Sed affirmativa ſententia, dandam ſcil. eſſe minori reſtitutionem etiam contra juramentum ſi læſus fuerit, defenditur à Magnif. Dn. Struv. *S. J. C. Ex.* 8. *th.* 54. *med.* quæ & multò verior videtur. add. Frantzk. 2. *reſol.* 4. *n.* 14. Ubicunque enim læſio adeſt, ibi videtur etiam dolus adeſſe; *arg. l. ſi ſuperſtite C. de dol. mal.* ubi autem dolus intervenit à Juramento abſolutio nonnunquam peti poteſt. Quarè quamvis maximè Juramenta puberum, contractum firment ac corraborent, non tamen exindè evincitur, adverſus talia juramenta negandam eſſe minoribus in integrum reſtitutionem ſi læſi fuerint. Undè rectè argumentatur Setſer. *d. l.* h. m. Minoribus læſis ac deceptis jura ſubveniunt ac in integrum reſtitutionem concedunt. E. & minoribus ita deceptis ſubveniendum erit, licet juramento contractum confirmaverint. Qui & ibidem ſecus ſentientibus ſatisfacit eorumque argumenta diluit.

Quibus ita præſuppoſitis, dicimus, omninò abſolutionem à juramento læſione enormiſſima præſuppoſita, item quando urgentes ac prægnantes abſolutionem ſvadentes concurrunt cauſæ, impetrari ac concedi poſſe Dn. Struv. *d. l.* Setſer. *l. c.* add. Gail. 2. *obſ.* 41. *n.* 8, qui negativam defendit. Neque refragatur quod & canones jubeant, juramenta inviolabiliter ſervari: non enim ſequitur indè, abſolutionem graviſſimis id ipſum ſvadentibus cauſis peti non poſſe: ſic juramentum quoque de præſtandis uſuris eſt ſervandum *c. debitore* X. *d. jurejur.* & nemo tamen inficias ibit, quin abſolutio peti & impetrari queat vid. *c.* 1. X. *d. r.* add. Fachin. 3. *contrav. cap.* 14. Sic neque ulterius obſtat, quod juramentum minorem faciat majorem, suppleatque ætatem: Juramentum enim non poteſt ſupplere defectum ætatis nec conſilii, ſed facit ſolum, ut ob id, quod juravit prudentior & conſultior videatur minor. *arg. l. ult. ff. d. manumiſſ. vind.* Carpz. *d. p.* 2. *c.* 35. *d.* 2. *v.* 11.

XI. Conceditur quoque ex eadem ratione abſolutio à Juramento filiis aut filiabus, qui, quæve accepta dotè, aut certa bonorum portione, hereditati renunciarunt, & ſe enormiter læſos læſasve eſſe probare valent. Juramentum enim non debet eſſe vinculum iniquitatis *tx. in c. quantò* X. *d. jurejurando* ſed tribus comitibus ſociatum eſſe, veritate ſcilicet, juſtitia & judicio *tx. in c. Etſi Chriſtus* X. *d. t.* accedit quod cum *tx. in c. quamvis d. pact. in* 6. loquatur de dote, intelligi debeat de dote competente, ſecundum facultates & divitias parentis, nomen enim dotis accipitur de dote congrua *l.* 60. *l.* 69. §. 4. *ff. d. jur. dot.* add. Dn. Struv. *in Evol. Ex.* 33. *th.* 45. Imò ex communi DD. opinione dos non debet eſſe minor legitima. Decius *Conſil.* 611. *n.* 7. & in genere in determinatione dotis congruæ conſiderandæ ſunt hæc, qualitas & facultates patris, mos regionis & arbitrium boni viri D. Struv. *d. l.* Maximè autem in integrum hoc caſu reſtituenda eſt ob enormiſſimam læſionem, ſicque à Juramento abſolvenda, filia in minori ætate adhuc conſtituta, quæ ob ſexus fragilitatem & imbecillitatem judicii, quæ huic ætati maximè inhærere ſolet, facile decipi potuit, quamvis neque majorennem hic excludere poſſimus. Notandum verò tunc dici filiam enormiſſimè læſam, ſi pro modicâ dote non continente legitimam, renunciavit ampliſſimæ hæreditati paternæ, maximè verò omnium, ſi plurium hereditatibus re-

nun-

nunciaverit,ut puta non ſolum paternæ ſed & maternæ atq; collateralium, à quibus tamen nihil ſubſidii vel loco dotis accepit. Et hoc quidem communiter ita procedit, obſervat tamen Gail. 2. *obſ.147. n.9.* & 10. in Camera reſtitutionem in integrum concedi hoc caſu etiam ſine abſolutione a juramento, cum tale juramentum habeatur pro captioſo, injuſto &c. Fallit hoc quoque de Jur. Saxon. uti videre eſt apud Carpz. *p. 2. c. 36. d. 4. per tot.*

XII. Cæterùm abſolutione quoque á juramento opus eſt, ubi quis contractum uſurarium juramento confirmavit *c. 1. X. d. jurejur.* quamvis enim ejusmodi contractus illicitus ac omninò nullus videatur & reſpectu creditoris turpis ſit: quoniam tamen debitor ſine æterna ſalutis diſpendio atque periculo eum ſervare poteſt, melius eſſe magisque conſcientiæ conſuli, docet. Dn. Struv. *S. I. C. Ex. 17. th. 77. n. 4.* ſi abſolutio petatur, cui ſententiæ & noſtrum ſubjicimus calculum. *Sed an ſubditus contra ſuperiorem non facta abſolutione à juramento, teſtimonium dicere poſſit quæri quoque ſolet?* Sanè & hoc caſu abſolutionem omninò requiri prima fronte videtur: verum cum hæc non tam ſit abſolutio, quam potius remiſſio juramenti hac de re in *ſeq. cap.* erimus ſolliciti,

XIII. Præter recenſitos verò caſus quamplurimos adhuc reperiri in quibus abſolutio à juramento omninò neceſſaria, negare neutiquam poſſumus: quoniam verò noſtri inſtituti ratio, & ea in quam nos coarctavimus chartarum anguſtia non permittunt de omnibus ac ſingulis accuratè & fusè ulterius agere, aliquos ſaltem adhuc ſummos attigiſſe digitis nobis ſufficiat. Sic conceditur ea in omni caſu impoſſibilitatis, ſeu impoſſibilitate laborante vid. Mev. ſupra *cit. c. 9. n.* 131. juramenta enim tacitam recipiunt conditionem poſſibilitatis. Neque obſtat quod impoſſibilium nulla ſit obligatio *l. 181. ff. d. R. J.* adeoque juramentum ſuper negotio impoſſibili præſtitum nullum ſit, neque abſolutione indigeat. Etenim procedit hoc tunc demum quando ab initio ſtatim contractus ſeu negotii adeſt impoſſibile naturâ & quidem utraque parte ſciente, tunc enim contractus irritus eſt, neque juramento confirmatur. Magnif. Dr. Mullerus *in Comm. ad tit. d. R. J. ad d. l.* qui & illustrem aliam huc quadrantem diſtinctionem affert. Item abſolutio conceditur, ſi id ipſum utilitas publica ſvadeat v. g. ſi quis propter juramentum præſtitum

of-

officium publicum ſuſcipere detrectet *d. l. ult. ff. ad municipat.* Porrò abſolutionem à Juramento petere quoque poſſe eum, qui juramento ſe adſtrinxit, ad ſolvendum id quod ludo perdidit, docet Molin. *d. tr. d. I. & I. T. 2. Tr. 2. Diſp.* 515. *n.* 9. & 10. Sed qui plura ſcire geſtit huc ſpectantes caſus evolvat Gothofr. *ad d. l. ult. ff. ad municipal.* quò lectorem remittimus; feſtinandum enim nobis ne nimium excreſcat diſſertatio *ad cap. IV.* notantes ſolum antequam hinc abeamus, quod Judex ſeu is qui hâc facultate pollet, non tam facilè neque pro deſiderio cujuslibet, juramenta quæ licita ſunt, quæque ſalva conſcientia & ſine ſalutis æternæ diſpendio ſervari poſſunt, diſſolvere debeat, ſed benè conſiderare an jurans ob concurrentem neceſſitatis aut utilitatis, aut etiam majoris honeſtatis rationem abſolutionem petere valeat, ſicque non aliter quam per eam ab obligatione liberari.

Caput IV.

continens

Caſus exceptos.

In quibus ſcilicet abſolutio à juramento neceſſaria non eſt.

I.

Expoſitis atque traditis hactenus caſibus in quibus abſolutio à juramento neceſſaria, ea, quam huic diſſertationi deſtinavimus, methodus, ducit nunc nos ad caſus exceptos, in quibus ſcilicet abſolutio neceſſariò non requirenda aut petenda. Horum autem primus eſt, quando juramentum eſt ipſo jure nullum ac invalidum, de jure ſcilicet naturæ & Canonico, utpote quod in juramentorum materia potiſſimum attenditur. Magnif. Dn. Struv. *S. J. C. Ex.* 2. *th.* 39. & *Ex.* 17. *th.* 16. 19. & 22. fieri enim poteſt, ut juramentum de jure quidem Civili ſit nullum, de jure verò Canonico valeat atque ſubſiſtat, vid. Rol. à Vall. *vol. 1. conſ.* 59. *n.* 27. quamvis nihil obſtet

ſtet quo minus nonnunquam Juramentum quod de Jure Civili nullum ac invalidum, etiam de Jure Can. pro tali habeatur. Cur autem abſolutio tunc neceſſaria non ſit quando Juramentum ipſo Jure nullum eſt, facile innoteſcere poteſt ex iis quæ ſupra *cap.* 1. *th.* 4. *in fin.* & *th.* 6. *pr.* à nobis allata ſunt, præſupponit enim ſemper abſolutio a Juramento vinculum quod relaxandum, quale hic non deprehenditur, undè rectè concludimus cum Gail. 1. *obſ.* 25. *n.* 5. quod illicitum juramentum præſtans, non opus habeat abſolutione, quia non tenetur illud obſervare *c. inter cætera.* 22. *quæſt.* 4. Dec. *conſ.* 180. *n.* 4. impia enim eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur. *c. in malis* 22. *q.* 4. Sic ſi adoleſcens quidam clam patre fidem matrimonii dediſſet amaſiæ ſuæ, eamque jurisjurandi religione confirmaſſet non ſine execratione horrenda, ſi fidem datam non ſervaret, Juramentum hoc illum non ligat, unde & ab hiſce ſponſalibus clandeſtinis juramento confirmatis ſalva conſcientia, ſi parentes conſenſum ſuum iis applicare detrectent recedere poteſt, neque abſolutione opus habet. Cum enim ejusmodi ſponſalia nullam firmitatem habeant, imò jure divino & humano nulla ſint, ut communis eſt Dd. opinio Alber. Gentil. *tr. d. nupt. lib.* 4. *c.* 1. *q.* 4. & 5. confirmari juramento non potuerant, cum illud non confirmet actum qui eſt ipſo jure nullus, nec mutet naturam & qualitatem contractus, cui adjicitur *l f. C. de non num. pec.* ibique Dd. accedit, quod juramenta contra mentem legis aut in fraudem ejus præſtita, ipſo Jure nulla ſint, ſicuti & Juramentum contra bonos mores non eſt obligatorium. *c. juramentum X. d. R J. in 6.* cum non debeat eſſe vinculum iniquitatis *c. quanto X. d. jurejur.* vid. Beuſt. *in tr. d. Jure Connub. cap.* 48. ubi verbis B. Lutheri ex ſcripto quodam ad amicum, hæc quæ dicta, confirmat. add. Setſerus *d. tr.* & *lib. c.* 8. *a.* 9. ubi ejusmodi amorem vocat amorem vulgarem & laſcivum, omninòque eum fugiendum dicit eis qui ad res magnas adſpirant, rectè enim canit Poeta

—— Iter nunquam ingredietur honoris
Laſcivæ addictus qui nimis eſt Veneri.

Hoc verò notandum, quod quamvis ejusmodi Juramenta illicita ac nulla ſint, nec jurantem obligent, arguant tamen jurantem temeritatis & peccati.

II. Porrò non eſt neceſſaria abſolutio à Juramento, quando is in

 cujus

cujus ſavorem juratum, juramentum remittit, quia & Jus tunc etiam dicitur juramentum illud remittere Panorm, *in c.1. X. d jurejur. & latè* Bartol. & Jaſon. *in l* 1. *§. & poſt. ff. d. nov. oper. nunc. n.* 1. Juramentum verò homini præſtitum, ab homine relaxari & remitti quoque poſſe nullum eſt dubium, par enim eſt poteſtas tollendi & inducendi c. *X. d. R. J.* licet illud juramentum principaliter Deo & non parti obliget. *tx. in c. debitores X. d. jurejur*, Gail. 1. *obſ.* 24. *n.* 1. Accedit quod nihil tam naturale ſit, quam unum quodque eo genere diſſolvi quo colligatum eſt *l. nihil tam naturale ff. d. R. J. junct. l.* 152. *ff. eod.* Et ſic reſponderunt Scabini Lipſienſes, teſte Carpz. *p.* 2. *c.* 36. *d.* 6. *n.* 9. in cauſa Matthæi Helbig zu Zwenen. Verba reſponſi hæc ſunt. Seyd ihr N. N. wegen eines Contracts und darbey ſonderlich vorgehenden Eydes, rechtlichen zu belangen Vorhabens. Ob Euch nun wohl die Eydliche Verpflichtung/ſo Euer Vater als contrahent gethan/hinderlich ſeyn wil/zumahlen weil des Eydes relaxation von der Obrigkeit noch nicht geſchehen/dieweil aber dennoch beklagter N. N. zu deſſen Nutz und Behuf der Eyd fürnehmlich geleiſtet/Euch die Eydliche Verpflichtung einmahl ſelbſt erlaſſen ꝛc. So hat er ſich nunmehro darmit nicht zu behelffen/ſondern ihr ſeyd ohne einige fernere relaxation wider Jhn zu procediren wohl befugt. V. R. W.

III. Ex his aliam adhuc elicit concluſionem laudatus Carpz. *d. l. n.* 8. quod ſcilicet nec ſubditis, qui in cauſa dominorum ſuorum in teſtimonium producuntur, ad hunc effectum ſpecialem abſolutionem à Juramento fidelitatis & obedientiæ à Magiſtratu ſuperiore concedi neceſſe ſit, ſi pars cui obſtricti ſunt, juramentum iis ad hunc effectum remittat: quam ſententiam etiam defendit Rutger Ruland. *d. commiſſ. p.* 1. *lib.* 5. *c.* 11. *n.* 6. Setlerus *lib.* 1. *c.* 24. cujus verba hæc ſunt. *Is etiam in cujus favorem juramentum principaliter eſt præſtitum, habet vim & poteſtatem juramentum principaliter remittendi, neque requiritur alia abſolutio, quin & jus tunc etiam dicitur illud juramentum remittere,* & adjungit ſequentia. Die Hand welche den Eyd aufnimbt kan ihn auch erlaſſen/wie denn tägl. geſchicht/wenn geſchworne Unterthanen in Sachen ihrer Obrigkeit ſollen Zeugnüß geben/daß Jhnen auf ſolchen Actum und weiter nicht der Eyd erlaſſen wird. Eandem fovet opinionem Magnif. Dn. Struv, *S. I. C. Ex.* 17. *th.* 81. eamque in praxi obſervari docet Modeſt.

Pi-

Piſtoris *vol. 1. conſil. 7. n. 25.* Carpz. *P. 1. c. 16. d. 64. n. 5. & 6.* Contrarium defendit Umm. *de Proceſſ. D. 16. th. 2. n. 12. in fin.* cum Donell. *per l. . C. d. teſtib.* quæ lex tamen pro iis facere non poteſt, quoniam ibi neceſſitas relaxationis non videtur remiſſa, ſed potius comprobata, quod colligi quoque poteſt *ex l. 6. ff. d. teſtib.* ubi habetur reſponſum Licinii Rufini, quod ſcilicet idonei teſtes non ſint quibus imperari poteſt. Cæterum nos ex dictis generalem quandam formavimus regulam, quæ hæc erit. Toties abſolutio à juramento neceſſaria non eſt, quoties alia via juris experiri quis poteſt, eſt namque abſolutio hæc remedium ſaltem extraordinarium, cui tunc demum locus quando ordinarium ceſſat.

IV. Porrò denegatur abſolutio à Juramento, quando petenti abſolutionem nulla competitura eſt actio Carpz. *d. c. d. 4. n. 4.* Gail. 1. *obſ. 22. n. 4.* Felin *in d. c. 1. X. d. jurejur. n. 30.* cujus verba ſat clara ſunt atque perſpicua. *Deneganda eſt*, inquit, *abſolutio à juramento, ſi abſolutio nullum produceret effectum, utpote ſi conſtet petenti abſolutionem nullam competere actionem* add. Roman. *conſ. 46 n. 1.* unde & jurans ad actionem inſtituendam nequaquam admittitur. *l. 14. §. 1. ff. ut legat. ſeu fideicom. ſervand. cauſa. l. 21. C. d. probat. c. 32. §. nos verò X. d. minor.* quos *txx.* citat Carpz. *d. l.* rationem ponens in eo, ne litigatores inanibus vexentur ſumtibus *l. 6. ff. d. minor.* qui & reſponſo hoc aſſertum probat. Exemplo res fiet clarior. Sic ſi quis abſolutionem à præſtita Urpheda de non ulciſcenda carceris injuria peteret, conſtaret verò, quod juſte fuerit incarceratus, ſicque etiamſi abſolveretur, nullam habiturus eſſet actionem, rectè ei abſolutio denegari poſſet. Hinc notat Gail. quod in hoc caſu in Camera Imperiali antequam citatio ad effectum agendi decernatur, prius Magiſtratui vel Domino territorii, ſub quo ſupplicans captus fuit, pro ſtatu cauſæ ſcribatur, cum in dubio pro Magiſtratu militet præſumptio, quod ex legitimis cauſis quis captus ſit. Porrò quod facti ſpecies a Magiſtratu transmiſſa, petenti citationem ſuper relaxatione Juramenti ad effectum agendi, communicetur, & ſiquidem eam probabiliter refutare poſſit, petita citatio decernatur, ſin minus, ea denegetur, juransque ad obligationem juramenti obligetur.

V. Sed abſolutionem à juramento neque tunc in dicto caſu ne-

ceſſariam eſſe vult Carpz. *d. c. d.* 5. nec non Gail. *d. l. n.* 5. ſi elogium hoc juratum quod Urphedam vocavimus, tantum fuerit præſtitum de non vindicandis carceribus, ita enim dicti Autores diſtingvunt. Aut juravit relaxatus tantum quod non vindicare velit carceres, aut utrumque, videlicet, quod neque carceres vindicare neque eo nomine jure experiri velit, h. e. neque de facto aut jure aliquid contra formulam juramenti attentare. Priori caſu abſolutionem nullo modo neceſſariam eſſe affirmant, ſed poſſe relaxatum non obſtante juramento via juris experiri: benè tamen poſteriori. Et hanc ſententiam probat Carpz. *l. c. per tx. in Ord. Crim. Carol. V. Imper. art.* 20. §. Es ſoll auch keine Obrigkeit autoritate Felin. *in c.* 1. *n.* 25. *in f.* X. *d. jurejur.* Gail. *d. l.* corroboratque eam ulterius reſponſo, addens rationes ſequentes. (1) quod promiſſio jurata, intelligatur facta de vindicta privata, & qui fit de facto, non etiam quæ jure permittente fit, ſicque ad vindictam juris legitimam Urphedam extendi non debere. probat ex *c. veniens.* 16. X. d. *jurejur.* (2) quod prohibitus moleſtiam inferre, non prohibeatur moleſtare de jure. Sed reperiuntur haud pauci qui ab hac opinione faciunt ſeceſſum, & non attenta hac diſtinctione indifferenter abſolutionem locum habere affirmant, qua de re videatur Röding. *lib.* 1. *Tit.* 13. §. 2. Nicolaus Michaëlis *d. Relax. Juram. c.* 4. *th.* 11. *in fin.*

VI. Ceſſat quoque ulterius abſolutio à juramento, neque neceſſe eſt eam petere, ſi quis contra juramentum alterius v. g. heres contra juratum defuncti contractum actionem intentare velit, ſed poterit heres recta via agere contra eum qui indebite juramentum à defuncto exegit. Gail. 1. *Obſ.* 27. *n.* 2. Non enim ſicuti ipſe contractus, ita & juramentum contractus confirmatorium, heredes obligat, quilibet enim regulariter pro ſe quidem & heredibus ſuis contrahere, non verò pro ſe & heredibus ſuis jurare cenſetur. Et eſt juramentum perſonale quid, quod morte jurantis quoad vinculum perjurii finitur tanquam vinculum aliquod ſpirituale, quamvis ſecus ſit quoad efficaciam obligationis, unde reatum perjurii alterius animam ligare non poſſe, quum jus ſpirituale non tranſeat de anima in animam docet ex Panorm. *in c.* 14. *X. d. Jurejur.* Carpz. *p.* 2. *c.* 36. *d.* 7. *n.* 5. qui & ſequens ſuppeditat reſponſum, quod præjudicii loco adſcribere placet. Tenor ejus hic eſt. Ober diß auch das juramentum ſo euer Vater geleiſtet/

Euch

Euch als den Erben nicht verbindet ꝛc. So ſeyd Ihr auch ohne fernere relaxation, rechtlichen wider Ihn zu procediren wohl befuget. V. R. W. plura de hoc caſu videantur apud Gail. *l. c.* Molin. *tr. d. J. & J. D.* 1??. *n.* 3.

VII. Sed neque is opus habet relaxatione juramenti aut abſolutione à juramento, qui contra promiſſionem factam ſub dignitatis ſplendore (bey Fürſtlichen/ Gräflichen/ oder Adelichen Ehren/ Treu und Glauben) agere vel experiri cupit. Quamvis enim ejusmodi promiſſiones, quoad firmitatem obligationis juramentis æquiparentur, ita ut promittens ad omnia illa, ad quæ quis alias ex contractu cui juramentum appoſitum eſt, devinctus tenetur, implere non immerito cogatur: non tamen æquipollent juramentis quoad pœnam perjurii, cum vere dici non poſſit perjurus qui ſimplicem aſſertionem fidei interpoſitione confirmatam eſt transgreſſus Setſer. *d. l. cap.* 16. *n.* 4. & 5 qui tamen ibidem affirmat, quod Principum & illuſtrium perſonarum promiſſio ſub fide facta omnino æquipolleat promiſſioni juratæ quoad omnes effectus, quod quomodo procedat dijudicari poteſt ex iis quæ tradit D. Struv. *d. Ex.* 17. *th.* 12. *ibi pertinet huc etiam.* Sed abſolutio à Juramento aut à vinculo juramenti, præciſè neceſſaria eſt ad evitandam perjurii pœnam Carpz. *d. c. d.* 10. *n.* 4. Gail. 2. *Obſ.* 24. *n.* 1. & 7. quæ hic locum habere nequit.

VIII. Ex dictis verò facilè liquet ceſſare quoque abſolutionem a juramento in contractu ſeu negotio confirmato (beym Wort der ewigen Warheit;) licet enim & ejusmodi promiſſio omnino ſervanda & absq; nota impietatis violari haud poſſit cum per verbum veritatis ipſemet Deus implicitè invocetur, unde & Dn. Struv. *d. Ex. th.* 12. eam involvere juramentum, quamvis non ſolenne ac corporale, affirmat; male tamen exinde quis inferret, quod illa vero juramento per omnia æquipolleat, vireſque veri ac corporalis *juramenti* tunc habeat, quando pro forma alicujus actus, corporale ac ſolenne juramentum Ein ſeierlicher und gelehrter Eyd requiritur, aut ubi de pœna perjurii quæſtio eſt. Quoniam autem abſolutio à vinculo juramenti tunc demum neceſſaria, ubi de evitanda perjurii pœna agitur, hæc autem hic metuenda non eſt; ſequitur hinc, neque abſolutionem neceſſario in hoc caſu peti debere, vid. Carpz. *d. c. d.* 8. *jung.* Beſold. *Delibat. jur. de jurejur. th.* 5. *p.* 65.

IX. Denique abſolutio à juramento neceſſaria non eſt I. Si quis armata manu contra pacem publicam captus, & non niſi juramento præſtito de non vindicandis carceribus, dimiſſus II. Quando quis poſt præſtitum juramentum aliud priori contrarium juravit: quoniam poſterius juramentum, ex ſuppoſita promiſſione jurata antecedente, illicitum *c. 16. in f. X. d. jurejur. c. 22. X.* [illegible] *ſponſal.* quamvis non negemus pœnitentiam ita temerariè de re illicita jurantibus injungendam eſſe D. Struv. *S. J. C. d. Ex. 16.* 19. Neque obſtat *c. 12. X. d. t.* ibi *abſolvendi ſunt.* reſpondemus enim eſſe æquivocationem in voce *abſolvere* quæ tam latè interdum ſumitur, ut denotet abſolutionem juris, h. e. actum quo ipſum Jus abſolvit, vel potius irritum ac nullum dicit juramentum. Vel referri poſſunt hæc verba ad ſententiam declaratoriam, quâ nullum declaratur tale juramentum. III. Non opus eſt abſolutione, ſi injuſtè contra juramentum excipitur, quando videlicet, id de quo ſub judice lis eſt, per juramentum non fuit [illegible] vid Mev. *d. c. 9. n.* [illegible]. Præter hos verò caſus alios huc ſpectantes paſſim reperiri [illegible] iri, haud poſſumus. quos tamen addere, inſtituti noſtri haud permittit ratio.

CAP. V. & ULTIMUM

continens

Affinia atque contraria.

I.

Quod concernit ea quæ affinitatem quandam cum abſolutione à juramento habent, quæque cum ea contrariè pugnant, brevibus nunc diſpiciemus. Affinitatem itaque *Primo* cum [illegible] juramento habet *juramenti irritatio*, quæ ad eos pertinet qui [illegible] habent in poteſtate, vel in ſuo regimine, ut ſunt parentes, mariti, quatenus juramentum in eorum vergit præjudicium *arg. l.* [illegible] *C. d. P. C.* unde talibus juramentis ſemper [illegible] et conditio, ſi conſenſerit ſuperior ejusque juribus non officiat [illegible]. vid. Jaſon *n. 6. ad l. ult. ff.* [illegible] *tud. cog.* non enim debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Eſt autem juramenti irritatio, definitione Hahnio [illegible] *jurejur. n. 14. poſt. med.* nihil aliud quam declaratio, [illegible] patris, mariti, de juramento à ſibi ſubjectis præſtito pro nullo habendo. Quo-

ad

ad effectum igitur irritatio ab abſolutione non differt, quamvis ratione cauſæ efficientis, ſubjecti & formæ, maximæ hanc inter & illam intercedunt differentiæ.

II. *Secundo* multum cum abſolutione à juramento convenit juramenti remiſſio, qua pars in cujus favorem juratum eſt, obligationem ex juramento ſibi debitam remittit, quod fieri poſſe, nullus negabit. Gail. 1. *obſ.* 24. *n.* 1. Nec obſtat quod juramentum principaliter Deo non parti obliget jurantem *c.* 6. *X. d. jurejur. l.* 2. *C. d. R. C.* Nam remittente parte ipſemet quoque Deus remittere juramentum videtur, quippe qui ad utilitatem alterius ſolummodo juramentum recipit Speculator *lib.* 1. *part.* 1. *tit. d. legato* §. 6. *n.* 28. & ex eo Carpz. *d. c. d.* 6. *n.* 6. Neque ulterius ad rem facit, quod juramentum in forma ſpecifica oporteat ſervari, nec ſufficiat adimplere illud in effectu per compenſationem, aut alio aliquo modo. Schurff. *Cent.* 1. *Conſ.* 67. *n.* 9. intelligendum enim hoc de eo caſu, quo jurans invito eo cui juravit ſimile offerre laborat. Fit autem remiſſio vel *expreſsè*, vel *tacitè*, v. g. ſi filia renunciet hereditati paternæ, id quod facere poteſt, & deinde, non attenta renunciatione à patre heres inſtituatur in teſtamento: tunc enim non obſtante jurisjurandi religione hereditatem ex teſtamento capere poterit, quia videtur tacitè ei jusjurandum à patre remiſſum, Bald. *in l. f. C. d. pact.* Math. de Afflict. *Deciſ. Neapol.* 250. *per tot.* Anton. Faber. *in tr. de Error. Pragmat. decad.* 14. *error.* 4. Hoc tamen benè notandum quod fieri debeat juramenti remiſſio antequam quis perjurii crimen incurrat, poſt admiſſum enim perjurium ea locum non habet, nec perjurium remisſione tollitur, nec infamia inde contracta. *arg. l. nemo poteſt ff. d. leg.* 1. Vaſqu. *lib.* 2. *contr. uſ. frequ. c.* 73. *n.* 5. Effectus remisſionis juramenti eſt, quod ea vinculum illud quo jurans alteri obſtrictus tollatur, neque neceſſe habeat adimplere illud quod juravit.

III. *Tertio* ſpectat huc etiam juramenti retractatio; quamvis enim lites jurejurando, præprimis voluntario finitæ non tam facilè retractari poſſint, ne quidem detecto perjurio, aut ob noviter reperta inſtrumenta Eck. *tit. ff. de jurejur.* §. 14. Hahn. *ad Weſ. eod. tit. n.* 8. D. Struv. *d. Ex. th.* 54. cum enim per ejusmodi juramenta partibus placuerit litem quaſi per tranſactionem componere, religioni cui res ſemel commiſſa omnino ſtari debet *l.* 1. 2. & 31. *ff. d. t.* non enim

am-

amplius quæritur an debeatur, præſtito jam juramento, ſed an juratum *l. 5. §. 2. ff. eod.* ſunt tamen caſus in quibus retractioni locus. Sic (1) ſi noviter reperta inſtrumenta, non ſint ambigua ſed exinde evidens perjurium incontinenti probari poſſit, juramentum retractari poſſe docet Philipp. *U. J. Pr. l. 4. ecl. 50. n. 10. & 11.* tunc enim boni judicis officio incumbere affirmat ut videat, ne ex tam improbo delicto impium ſibi lucrum quærere poſſit victor, hincque condictionem ex jurejurando propter indebite ſolutum adverſæ parti concedendam. (2) Retractatur juramentum aliquando ratione circumſtantiarum, ſi ſcilicet ea lege conditioneve delatum ſit juramentum, aut ita conventum, ut detecto poſtmodum perjurio illud retractetur. *l. 1. C. d. R. C.* (3) Locum habet retractatio, ubi quis juravit heredem ſibi debere ex teſtamento, idque per præſtitum juramentum conſecutus eſt, tunc enim ſi poſtea appareat heredem non debere, id retractatur, cujus rei ratio in favore ultimarum voluntatum poſita. *l. 13. C. d. t.* Hahn. *d. l.* Quomodo retractetur juramentum in litem docet Carpz. *p. 1. c. 15. d. 4, 5, 6. &c.* qui hac de re conſuli poterit.

IV. *Quartò* affinis eſt abſolutioni à juramento omnis juramentorum nullitas, ex aliis quam dictis cauſis deſcendens; de hac enim ſi conſtat nulla opus eſt abſolutione, quò ſpectant illa Gail. *1. obſ. 25. n. 5. illicitum juramentum præſtans non opus habet abſolutione, quia non tenetur illud obſervare* & quæ ſcribit idem *2. obſ. 42. n. 4. juramentum*, inquit, *quod vergit in diſpendium ſalutis æternæ quod contra bonos mores, quod cedit in deteriorem exitum, quod exemplo pernicioſum eſt, quod præſtatur ſuper pacto & conventione principaliter contra publicam utilitatem cedente, ipſo jure non obligat jurantem & ex iſtis caſibus non opus eſt abſolutione.* Solet tamen ejuſmodi juramentis ſententia applicari declaratoria, qua nulla declarantur Dn. Struv. *in Evolut. l. c.*

V. Sed neque *quinto* prætereunda nobis ſic coquod dicunt pede, juramentorum interpretatio, quæ eſt benigna, atque conveniens negotii juramento confirmati explicatio, dividiturque in *extenſivam & reſtrictivam.* vid. Grot. *lib. d. I. B. ac P. 2. c. 16.* ſoletque juramenti abſolutionem plerumque antecedere, quamvis eam nonnunquam concomitetur, cum nulla detur abſolutio abſque juramenti interpretatione.

ctione. Primo igitur notandum, quod quia juramentum ex conſenſu jurantis proficiſcitur, ſemper illud ita interpretari nos oporteat, ut voluntati atque intentioni ejus qui juravit reſpondeat. Sicuti enim voluntatis in omnibus hominum actibus, prima ac præcipua vis eſt, maximumque robur, ita ea & hic omnem facit paginam. Quoniam vero mens ac propoſitum agentium melius non eluceſcit quàm ex verbis, quibus uſi ſunt: ſunt enim verba notæ paſſionum quæ in anima ſunt & ſimulachra rerum Ariſt. *d. Interpretat. c. 1. t. 2. & 3. junct. d. Elench. Soph. c. 1. pr.* neque voluntas hominis à verbis præſumitur [illegible] hinc ex nulla re majus diſpoſitionis ac mentis noſtræ teſtimonium elici poteſt, quam ex accurata verborum inſpectione: præſertim cum verba contractus, ſint lex contractus *l. 1. §. ſi convenient. ff. d. poſ.* Deinde obſervandum, quod omne juramentum ſuper aliquo contractu vel diſpoſitione quadam præſtitum interpretationem accipiat, extendatur & limitetur ſecundum naturam illius contractus vel diſpoſitionis, ſuper quo vel qua interponitur, & hinc eſt, quod juramentum omnes recipiat conditiones & limitationes, quibus principalis contractus obnoxius eſt. Intelligendum hoc tamen de natura propria & ipſi actui convenienti, non de accidentali. Tertiò: Juramenta non calumnioſè aut ſophiſticè, ſed ſimpliciter ſecundum communem ſenſum debent intelligi, quia qui ſophiſticè loquitur odibilis eſt *Eccleſ. 26.* Quartò Juramenta non extenduntur ad incognita & non cogitata. Denique Juramenta regulariter ſunt ſtrictæ interpretationis. vid. Dn. Struv. *d. Ex. th. 82. per tot.* add. Setſer. *d. tr. & lib. cap. 26.* ubi non minus laxo quam accurato ſtylo hanc materiam pertractat.

VI. Sed ut relictis affinibus ad contraria faciamus acceſſum, nihil magis abſolutioni adeò videtur eſſe contrarium quam confirmatio juramenti præſtiti. Etenim dantur juramenta quæ hanc habent naturam ut propter ſummam vinciendi & ligandi vim iis planè contrarietur diſſolutio *c. cum contingat 28. X. d. jurejur.* Sicuti igitur judicis officium eſt, jurantem, ſi ſufficiens atque prægnans ab eo adduci poſſit cauſa abſolutionem ſvadens, à vinculo & obligatione abſolvere; ita ei quoque omninò incumbit ſi talem cauſam ſubeſſe non deprehendit, illum cogere ut id quod juratò promiſit ſervet, datamqve fidem nullatenus frangat, quod nihil aliud eſt quam juramentum confirmare.

VII. Directò quoq; cum abſolutione à juramento pugnant ſub- & obreptio, quibus cognitis, abſolutio vitiatur. Poteſt hinc is adverſus quem abſolutio impetrata exceptionem ſub & obreptionis opponere quæ ad probandum admitti ſolet, ſi non ſit notoriè calumnioſa Gail. 1. *Obſ.* 14. *n.* 2. Arguitur autem abſolutio ſub & obreptionis, ſi falſa quis narraverit, vel qualitas ea cujus intuitu abſolutio conceſſa vera non ſit; vel ſi taceatur id, quo expreſſo ſuperior abſolutionem conceſſurus non fuiſſet, vel non ita facilè.

IIX. Contrariatur quoque huic noſtræ abſolutioni, Renunciatio, qua quis juramento corporali præſtito promittit, ſe abſolutionem à juramento priori non eſſe petiturum. Licet enim non obſtante hác jurata promiſſione nihilominus tamen quis abſolutionem petere poſſit, remoram tamen ea abſolutioni injicit, ut non tam facilis ad abſolvendum ſe præbeat ſuperior, quàm ſi hoc juramentum poſterius præſtitum non fuiſſet. Obſervandum hinc ei qui duplici ſe ligavit vinculo, ut abſolutionem petens utriusque ſacramenti in libello faciat mentionem, ut ab utraque abſolvatur, attenditur enim hic numerus juramentorum, ita ut tot petendæ abſolutiones quot juramenta præſtita. *c.* 27. X. *d. ſentent. ex-communic. c.* 24. *eod.* Recte enim ait Gail. 2. *obſ.* 65. *n.* 7. quod ubi plura obſtent, uno ſublato, reliqua non tollantur.

IX. Denique cum abſolutione à juramento pugnat quoque perjurium, quod nihil aliud eſt quam mendacium juramento dolosè confirmatum. Cum enim melius ſit, ex juſta cauſa abſolutionem à juramento petere, liquet exinde injuſtè prorſus agere eum qui ea non attenta, nihilominus datam frangit fidem, vinculumque illud, quod eâ neglecta, arctiſſimè adhuc eum ligat, negligit, & ſusque deque habet. Neque eſt quod excipiat talis, ſe non perjurium hoc caſu committere, ſed potius juramentum temerarium: quem enim fugit juramentum temerarium illud demum dici, quod vel indeliberato vel de re illicita &c. præſtatur, non quidem obligans ad ſervandum, ſed tamen ad pœnam, à quo perjurium multis differt paraſangis. Et hæc de nobiliſſima pariter ac utiliſſima hac de abſolutione à juramento materia, non pro voluntate, cum multa eaque maximè utilia omiſerimus, vel etiam ſummis tantum digitis attingere coacti fuerimus, ſed pro temporis penuria dixiſſe, nobis ſufficiat. Deo interim omnis juris juſtitiæque fonti ſit

LAUS HONOR ET GLORIA.

Corollaria.

I.

Non ſine cauſa Salvianus *lib. 4. d. Gubernat. Dei* cit. à Johan. He-nich. *d. juram. & vot. p. 1. qv. 9.* miratus eſt, reperiri homines Chriſtianos, qui non dubitent credere, ſe jurantes de ſcelere perpetrando, juramento hoc obligari, unde & poſtquam exemplum hujus narraſſet, ſic ait: *Quis unquam crederet, usque in hanc contumeliam Dei progreſſuram eſſe humanæ cupiditatis audaciam, ut idipſum in quo Deo injuriam faciunt, dicant ſe ob Chriſti nomen eſſe facturos! quid non adverſa ſunt improbæ mentes? armant ſe ad latrocinandum per nomen Chriſti, autorem quodammodo ſui ſceleris Deum faciunt, & cum interdictor & vindex malorum omnium Chriſtus ſit, dicunt ſe ſcelus quod agunt, agere pro Chriſto.*

II.

Quamvis magna jurisjurandi ſit reverentia, ita, ut ſi adverſario deferente vel referente illud præſtetur, non amplius de debito, ſed tantum de jurejurando quæratur *l. 5. §. 2. ff. d. jurejur.* adeoq; cauſa jurejurando delato & præſtito deciſa, ne quidem perjurii prætextu retractanda ſit *l. 1. C. d. R. C.* ibique Brunn. Fallit hoc tamen in illis juramentis, quæ non à parte parti, ſed a judice deferuntur, cum hic ratio quod partes ex conventione & transactione judices ſemetinvicem conſtituerint ceſſet. vid. Philipp. *U. J. Pr. lib. 4. eccl. 50.*

III.

Juramentum perhorreſcentiæ, cuius potisſima ſedes & fundamentum eſt *in c. 11. §. cum vero d. reſcriptis in 6.* eſt aſſeveratio religioſa qua Judex ex metu ob locum non tutum, vel quod quis non ſperat, ſe juſtitiam ob potentiam adverſarii aliasque cauſas æquè & incorrupte apud eundem conſecuturum, eieratur. Dicitur alias eieratio bonæ ſpe quæ fit ex horrore.

IV.

Infamia juris laborant perjuri per c. *ſi quis convictus, c. querelam X. d. jurejur.* id quod tamen intelligendum eſt, ſi quis dolo malo pejeraverit: dolus malus enim ad perjurium exigitur *l. 26. pr ff. d. jurejur.* Quapropter qui calore iracundiæ vel inconſultò aliquid jurat, nec exinde tenetur, nec perjurium aut infamiam contrahit, cum tales inconſulti motus, utpote dolo carentes excuſandi ſint. Hieluc. *d. Exiſtimat. lib. 3. c. 10. n. 11.*

Iu-

Εὐχαίρει!

Arridet Nobiliſſime Domine DE WERDECK, Jucundiſſimè ecce tuus conatus, qui raras ingenii animique tui dotes, quibus te ſummus ille omnium bonarum rerum auctor creatorque Deus, præ multis ornavit, luculenter oſtendit. Sicuti enim pudor eſt, ineffabili iſto theſauro, ingenio ſcilicet, à ſummo Numine benignè conceſſo, turpiter abuti, ſicque non ſolum ſibimet ipſi, verum & parentibus atque cognatis ſuis ſummum conciliare mœrorem; ita laudem contra meretur maximam, omnes ingenii vires in id intendere, ut quale nobis à Deo datum ſit pondus, publicitus conſtet. Præſtas hoc ipſum, Amice honorande, dum præſentem hanc de Abſolutione à juramento Diſſertationem, limatâ ſanè conſcriptam methodo nobis exhibes, æquiſſimoque eruditorum eam exponis judicio, inſimul iis quibus vitam fortunasque tuas debes, vitæ tuæ cum hic tum in [illegible] Pötyrea peralle, rationes reddens gratiſſimas. Gratulor hinc tibi de erudito hoc eruditionis tuæ ſpecimine, vereque atque ex animo precor, ut quem gnaviter ſuſcepiſti laborem, præprimis Dei illuſtret gloriam, poſt vero parentum amplificet gaudium, tibi denique nunquam intermorituram conciliet laudem. Dabam è Muſeo d. 11. Maji 1681.

T.

PRÆSES.